Ex Titī Līviī *Historiā Rōmānā ab urbe conditā,* liber prīmus

—

Ab Ænēā ad Lucrētiam

Nouvelle édition pour la lecture *apertō librō*
par Nicolas Lakshmanan-Minet

© Nicolas Lakshmanan-Minet, 2021

Dē urbe conditā

Ab Ænēā ad Rōmulum

Quomodo Ænēās Juppiter Indigēs factus sit

[1] Jam prīmum omnium, satis cōnstat *Troĵā*[1] *captā, in cēterōs sævītum esse Troĵānōs, duōbus, Ænēæ Antēnorīque*[2], — et vetustī jūre hospitiī, et quia pācis, reddendæque Helenæ, semper auctōrēs[3] fuerant — *omne jūs bellī Achīvōs abstinuisse ; cāsibus deinde variīs, Antēnorem cum multitūdine Ēnētum*[4] — quī, sēditiōne ex Paphlagoniā pulsī, et sēdēs[5] et ducem, rēge Pylæmene[6] ad Troĵam āmissō, quærēbant — *vēnisse in*

1. Nous notons le yod intervocalique, toujours géminé à l'oral en latin classique, par le -j- ramiste, en le surmontant d'un circonflexe, afin de marquer ce dédoublement.

2. Antēnor, -oris — Anténor, prince troyen, qui s'embarqua après la ruine de sa patrie, et vint fonder sur la côte des Vénètes une ville, nommée depuis Padoue. « *Antēnor potuit, mediīs ēlāpsus Achīvīs, / Illyricōs penetrāre sinūs.* » (*Énéide*, I, 246-247).

3. C'est Anténor qui reçut l'ambassade d'Ulysse et Ménélas (*Iliade,* III, 207). Homère le présente comme un partisan de la paix (*Iliade*, III, 159 ; VII, 350).

4. Peuple de Paphlagonie, pays qui borde la Mer Noire, au nord de l'Asie Mineure. *Cf. Iliade,* II, 851-857.

5. sēdēs, sēdis, sēdum, *n. m.* — faux parisyllabique.

6. *Iliade*, V, 576-577.

intimum[1] *maris Hadriatīcī sinum ; Euganeīsque*[2] — quī inter mare Alpēsque incolēbant — *pulsīs, Ēnētōs Troĵānōsque eās tenuisse terrās.*

Et in quem prīmō ēgressī sunt locum, Troĵa[3] vocātur. Pāgōque inde Troĵānō nōmen est ; gēns ūniversa Venetī appellātī[4]. Ænēam, ab similī clāde, domō profugum — sed ad maĵōra rērum initia dūcentibus fātīs — prīmō in Macedoniam vēnisse, inde in Siciliam quærentem sēdēs, dēlātum ab Siciliā, classe ad Laurentem[5] agrum tenuisse[6]. Troĵa et huic locō nōmen est.

Ibi ēgressī Troĵānī — ut quibus, ab immēnsō prope errōre[7], nihil præter arma et nāvēs superesset. Cum prædam ex agrīs agerent, Latīnus rēx, Aborīginēsque, quī tum ea tenēbant loca, ad arcendam vim advenārum armātī, ex urbe atque agrīs concurrunt. Duplex inde fāma est.

Aliī, *prœliō vīctum, Latīnum pācem cum Ænēā, deinde adfīnitātem jūnxisse*, trādunt. Aliī, *cum īnstrūctæ aciēs cōnstitissent, priusquam signa canerent, prōcessisse Latīnum inter prīmōrēs ; ducemque advenārum ēvocāsse ad conloquium.*

---

1. IN INTIMUM — « Tout à fait à l'intérieur de », donc « au fond de ».

2. EUGANEĪ, -ŌRUM — Sans doute un peuple installé là avant l'arrivée des Indo-Européens.

3. La tradition romaine utilise un nom de lieu sans doute préindo-européen, *Troia,* trouvé chez les Vénètes et dans le Latium, pour accréditer l'origine troyenne de Rome.

4. *Gēns Venetī appellātī* : accord avec l'attribut.

5. LAURĒNS, -ENTIS — Autour de Laurentum, ville du Latium.

6. TENEŌ — tenir à, toucher, atteindre.

7. *Immēnsus error :* il s'agit du détour odysséen accompli par les compagnons d'Énée.

Percontātum deinde quī mortālēs essent, unde aut quō cāsū profectī domō, quidve quærentēs in agrum Laurentīnum exīssent — postquam audierit multitūdinem Trojānōs esse, ducem Ænēam fīlium Anchīsæ et Veneris, cremātā patriā domō profugōs, sēdem condendæque urbī locum quærere, et nōbilitātem admīrātum gentis virīque, et animum vel bellō vel pācī parātum, dextrā datā, fidem futūræ amīcitiæ sānxisse.

Inde fœdus ictum[1] *inter ducēs ; inter exercitūs salūtātiōnem factam. Ænēam apud Latīnum fuisse in hospitiō ; ibi Latīnum, apud penātēs deōs, domesticum pūblicō adjūnxisse fœdus — fīliā Ænēæ in mātrimōnium datā.* Ea rēs utique[2] Trojānīs spem adfirmat tandem, stabilī certāque sēde, fīniendī errōris. Oppidum condunt ; Ænēās ab nōmine uxōris Lāvīnium appellat. Brevī, stirpis[3] quoque virīlis ex novō mātrimōniō fuit, cui[4] Ascanium parentēs dīxēre nōmen.

[2] Bellō deinde Aborīginēs Trōjānīque simul petītī[5]. Turnus rēx Rutulōrum, cui pacta[6] Lāvīnia ante adventum Ænēæ fuerat, prælātum sibi advenam ægrē patiēns, simul Ænēæ Latīnōque bellum intulerat. Neutra aciēs læta ex eō certāmine

---

1. ĪCŌ, -IS, -ERE, ĪCĪ, ICTUM, *v. t.* — frapper ; surtout utilisé comme participe parfait de *feriō* ; forme locution avec *fœdus* : conclure un traité.

2. UTIQUE, adv. — en tout cas, à toute force, surtout, en particulier.

3. STIRPS, STIRPIS, *n. f.* —souche, racine ; race, famille, sang, progéniture. [στερεός, all. *stark*]

4. Nous notons ainsi qu'ici -ui- est une diphtongue — qu'on peut prononcer comme dans l'italien *cui.*

5. *petere aliquem bellō* : assaillir, attaquer, faire la guerre à quelqu'un.

6. PACISCOR, PACTUS SUM, PACISCĪ, *v. t.* — promettre, faire un traité. [*pangō, pāx*]

abiit : vīctī Rutulī ; victōrēs, Aborīginēs Trōjānīque ducem Latīnum āmīsēre.

Inde Turnus Rutulīque, diffīsī rēbus, ad flōrentēs opēs Etrūscōrum, Mezentiumque rēgem eōrum, cōnfugiunt — quī, Cære[1] opulentō tum oppidō imperitāns[2], jam inde ab initiō minimē lætus novæ orīgine urbis, et tum nimiō, plūs quam satis tūtum esset accolīs, rem Trōjānam crēscere ratus, haud gravātim[3] socia arma Rutulīs jūnxit.

Ænēās, adversus tantī bellī terrōrem, ut animōs Aborīginum sibi conciliāret, nec[4] sub eōdem jūre sōlum, sed etiam nōmine omnēs essent, Latīnōs utramque gentem appellāvit ; nec deinde Aborīginēs Trōjānīs, studiō ac fide ergā rēgem Ænēam, cessēre[5]. Frētusque hīs animīs, coalēscentium in diēs magis, duōrum populōrum, Ænēās — quamquam tanta opibus Etrūria erat, ut jam nōn terrās sōlum, sed mare etiam, per tōtam Ītaliæ longitūdinem ab Alpibus ad fretum Siculum, fāma nōminis suī implēsset — tamen cum mœnibus bellum prōpulsāre posset, in aciem cōpiās ēdūxit. Secundum[6] inde prœlium Latīnīs, Ænēæ etiam ultimum operum mortālium

1. CÆRE, *n. nt. indéclinable* — Cæré en Étrurie, aujourd'hui Cerveteri.

2. IMPERITĀNS = *imperāns*. Tite-Live a un goût immodéré pour le suffixe fréquentatif *-ta-*.

3. GRAVĀTIM, *adv.* — lourdement, donc lentement.

4. = *et nē*.

5. *alicui cēdere aliquā rē* : le céder à quelqu'un en quelque chose.

6. SECUNDUS, -A, -UM —Ici, « propice, favorable, heureux ».

fuit. Situs[1] est — quemcumque eum dīcī jūs fāsque est — super Numīcum[2] flūmen : Jovem Indigetem[3] appellant.

Albæ — ab Ascaniō ad Amūlium

[3] Nōndum mātūrus imperiō Ascanius, Ænēæ fīlius, erat ; tamen id imperium eī ad pūberem[4] ætātem incolume mānsit ; tantīsper[5], tūtēlā muliebrī — tanta indolēs in Lāvīniā erat — rēs Latīna, et rēgnum avītum paternumque, puerō stetit. Haud ambigam[6] — quis enim rem tam veterem prō certō adfirmet ? — hiĉine fuerit Ascanius, an maĵor quam hiĉ : Creūsā mātre Īliō incolumī nātus, comesque inde paternæ fugæ — quem Iūlum eundem, Jūlia gēns auctōrem nōminis suī nuncupat[7].

Is Ascanius, — ubicumque et quācumque mātre genitus, certē nātum Ænēā cōnstat —, abundante Lāvīniī multitūdine, flōrentem jam — ut tum rēs erant — atque opulentam urbem mātrī seu novercæ[8] relinquit. Novam ipse aliam sub Albānō monte condidit — quæ, ab sitū porrēctæ in dorsō urbis, Longa

---

1. Placé, donc enseveli.

2. Aujourd'hui *Rivo di Nemi*. Suivant Denys d'Halicarnasse, I, 64, le corps d'Énée ne fut pas retrouvé. *Cf.* Ovide, *Mét.* XIV, 600 *et sqq.* ; Tibulle, II, V, 45.

3. INDIGES, -ETIS, *adj.* — Indigète. (Pourrait signifier « élevé (*agō*) parmi les dieux »

4. PŪBES ou PŪBER, -ERIS, *adj. qual.* — pubère, adulte.

5. TANTĪSPER, *adv.* — pendant tout ce temps.

6. AMBIGŌ, -IS, -ERE — disputer, discuter.

7. [<*nomen+capio*].

8. Marâtre, belle-mère [<*novus*].

Alba appellāta. Inter Lāvīnium et Albam Longam colōniam dēductam, trīgintā fermē[1] interfuēre annī.

Tantum tamen opēs crēverant, maximē fūsīs Etrūscīs, ut nē morte quidem Ænēæ, nec deinde inter muliebrem tūtēlam, [2]rudīmentumque prīmum puerīlis rēgnī, movēre arma, aut Mezentius Etrūscīque, aut ūllī aliī accolæ ausī sint. Pāx ita convēnerat, ut Etrūscīs Latīnīsque fluvius Albulā — quem nunc Tiberim vocant — fīnis esset.

Silvius deinde rēgnat, Ascanī fīlius, cāsū quōdam in silvīs nātus ; is Ænēam Silvium creat ; is deinde Latīnum Silvium. Ab eō colōniæ aliquot dēductæ : Prīscī Latīnī appellātī. Mānsit Silviīs posteā omnibus cognōmen, quī Albæ rēgnārunt. Latīnō Alba ortus, Albā Atys, Atye Capys, Capye Capetus, Capetō Tiberīnus, quī in traĵectū Albulæ amnis submersus, celebre ad posterōs nōmen flūminī dedit.

Agrippa inde Tiberīnī fīlius. Post Agrippam Rōmulus Silvius ā patre acceptō imperiō rēgnat ; Aventīnō, fulmine ipse ictus, rēgnum per manūs trādidit. Is, sepultus in eō colle quī nunc pars Rōmānæ est urbis, cognōmen collī fēcit.

Proca deinde rēgnat. Is Numitōrem atque Amūlium prōcreat ; Numitōrī, quī stirpis maximus erat, rēgnum vetustum Silviæ gentis lēgat. Plūs tamen vīs potuit quam voluntās patris, aut verēcundia ætātis : pulsō frātre, Amūlius rēgnat. Addit scelerī scelus : stirpem frātris virīlem interemit ;

---

1. FERMĒ, *adv.* — d'une manière très approximative. [<**ferimē*, superlatif de *fere*]

2. Apprentissage [<*rudis*, > *ēruditiō*].

frātris fīliæ Reæ Silviæ — per speciem honōris, cum Vestālem[1] eam lēgisset — perpetuā virginitāte, spem partūs adimit.

Quomodo Rōmulus rēx factus sit Rōmæ

[4] Sed dēbēbātur, ut opīnor, fātīs[2], tantæ orīgō urbis — maximīque, secundum deōrum opēs, imperiī prīncipium. Vī compressa, Vestālis cum geminum partum ēdidisset — seu ita rata, seu quia deus auctor culpæ honestior erat —, Mārtem incertæ stirpis patrem nuncupat. Sed nec dī nec hominēs aut ipsam aut stirpem ā crūdēlitāte rēgiā vindicant[3] : sacerdōs vīncta in cūstōdiam datur ; puerōs in prōfluentem aquam mittī jubet.

Forte quādam, dīvīnitus[4] super rīpās Tiberis effūsus lēnibus stāgnīs ; nec adīrī usquam ad jūstī cursum poterat amnis ; et posse, quamvīs, languidā[5] mergī aquā īnfantēs spem ferentibus[6] dabat. Ita, velut dēfūnctī[7] rēgis imperiō, in proximā

1. Vierge consacrée au culte de Vesta —Ἑστία pour les Grecs — et à l'entretien de son feu sacré.

2. Datif. Il faut comprendre ensuite *orīgō* comme « le fait qu'elle se lève, qu'elle naisse ».

3. Ici, « dégager, délivrer »

4. DĪVĪNITUS, adverbe.

5. LANGUIDUS, -A, -UM, *adj. qual.* — affaibli, languissant ; paresseux, inactif ; *ici, «* stagnante *».* [*langueō*, *languor* ; ang. *slack* ; langueur, languir]

6. = *eīs quī īnfantēs in amnem ferēbant.*

7. Nominatif pluriel.

alluviē ubi nunc fīcus Rūmīnālis[1] est — Rōmulārem vocātam ferunt — puerōs expōnunt.

Vastæ tum in hīs locīs sōlitūdinēs erant. Tenet fāma cum fluitantem alveum, quō expositī erant puerī, tenuis in siccō aqua dēstituisset, lupam sitientem, ex montibus quī circā sunt, ad puerīlem vāgītum cursum flexisse ; eam, submissās īnfantibus, adeō mītem præbuisse mammās, ut, linguā lambentem puerōs, magister rēgiī pecoris invēnerit — Faustulō fuisse nōmen ferunt. Ab eō ad stabula[2] Lārentiæ uxōrī ēducandōs datōs. Sunt quī Lārentiam, vulgātō[3] corpore, lupam inter pāstōrēs vocātam putent ; inde locum fābulæ ac mīrāculō datum.

Ita genitī itaque ēducātī, cum prīmum adolēvit ætās, nec in stabulīs nec ad pecora sēgnēs, vēnandō peragrāre saltūs. Hinc, rōbore corporibus animīsque sūmptō, jam nōn ferās tantum subsistere[3] ; sed in latrōnēs prædā onustōs impetūs facere,

---

1. Le figuier sauvage, situé devant l'entrée du Lupercal, au pied du mont Palatin. Son nom viendrait du fait que cet arbre aurait été, à l'origine, consacré à la déesse *Rūmina* qui présidait à l'allaitement (*rūma,* « mamelle »), ou, selon Plutarque, « parce que les ruminants allaient, au milieu du jour, se reposer sous son ombre » (*rūma*, « panse »). Toute cette fable de l'allaitement des deux jumeaux par une louve paraît devoir son origine au désir d'expliquer l'origine inconnue du nom de Rome. Les uns le fout venir de ῥώμη. courage et force; d'autres, de *Rūmō*, ancien nom du Tibre, qu'ils dérivent de ῥοός, ῥέω, d'autres de Romulus, d'autres encore de *rūma, rūmis, rūmen* (*Cf.* Tacit. *Ann.*, XIII, 58, 1.)

2. Il s'agit des cabanes, ou des burons, des bergers.

3. Nous orthographions « vulnus », alors que jusqu'au début de l'empire, on continuait à noter « VOLNUS », pour éviter « VVLNVS » ou « VLNVS » : comme nous utilisons les lettres ramistes, nous pouvons indiquer au lecteur la prononciation réelle du mot. (Quintilien, I, 7, 26)

4. Avec l'accusatif : « résister à, tenir tête à ».

pāstōribusque rapta dīvidere[1], et cum hīs, crēscente in diēs grege juvenum, sēria ac jocōs celebrāre.

[5] Jam tum in Palātiō monte, Lupercal[2] hoc[3] fuisse lūdicrum[4] ferunt ; et ā Pallantēō, urbe Arcadicā, Pallantium, dein Palātium montem appellātum ; ibi Evandrum, quī ex eō genere Arcadum, multīs ante tempestātibus, tenuerit loca, sollemne[5] allātum[6] ex Arcadiā īnstituisse ut nūdī juvenēs, Lycæum[7] Pana venerantēs, per lūsum atque lascīviam currerent — quem Rōmānī deinde vocārunt Inuum.

Huic dēditīs lūdicrō — cum sollemne nōtum esset — īnsidiātōs ob īram prædæ āmissæ latrōnēs, cum Rōmulus vī sē dēfendisset, Remum cēpisse, captum rēgī Amūliō trādidisse,

---

1. Avec le datif : « distribuer à ».

2. Les Lupercales, fête de purification avait lieu à Rome du 13 au 15 février. Les luperques, prêtres de Faunus, sacrifiaient un bouc à leur dieu dans la grotte du Lupercal (au pied du mont Palatin) où, selon la légende, la louve avait allaité Romulus et Rémus. Deux jeunes gens, vêtus d'un pagne en peau de bouc, assistaient à la cérémonie. Le prêtre sacrificateur leur touchait le front de son couteau. Le sang ainsi répandu était essuyé par un flocon de laine trempé dans du lait. Les jeunes gens devaient alors rire aux éclats, puis courir dans toute la ville de Rome. Ils étaient armés de lanières, taillées dans la peau du bouc sacrifié, avec lesquelles ils fouettaient les femmes rencontrées sur leur passage, qui souhaitaient avoir un enfant dans l'année, pour les rendre fécondes.

3. = d'aujourd'hui.

4. LŪDICRUM, -ī, *n. nt.* — jeu public.

5. SOLLEMNE, IS, *n. nt.* — solennité, fête solennelle ; habitude, usage. [*sollemnis, e = sollus* (*Cf.* note 2)*+ annus :* « qui revient tous les ans, annuel, consacré ; habituel, ordinaire »]

6. Impersonnel : sous-entendre *est.*

7. Le lycée est une montagne d'Arcadie consacrée à Pan et à Faune, ainsi nommée du fait de la multitude des loups qui l'infestaient.

ultrō accūsantēs. Crīminī maximē dabant in Numitōris agrōs ab iīs impetum fierī ; inde eōs, collēctā juvenum manū, hostīlem in modum prædās agere. Sīc Numitōrī ad supplicium Remus dēditur.

Jam inde ab initiō, Faustulō spēs fuerat rēgiam stirpem apud sē ēducārī ; nam et expositōs jussū rēgis īnfantēs sciēbat, et tempus quō ipse eōs sustulisset ad id ipsum congruere. Sed rem immātūram, nisi aut per occāsiōnem aut per necessitātem, aperīrī nōluerat. Necessitās prior venit : ita metū subāctus, Rōmulō rem aperit. Forte et Numitōrī — cum in cūstōdiā Remum habēret, audīssetque geminōs esse frātrēs —, comparandō et ætātem eōrum et ipsam minimē servīlem indolem, tetigerat animum memoria nepōtum. [1]Scīscitandōque eōdem[2] pervēnit : ut haud procul esset quīn Remum agnōsceret.

Ita undique rēgī dolus nectitur. Rōmulus nōn cum globō[3] juvenum — nec enim erat ad vim apertam pār —, sed aliīs aliō itinere jussīs certō tempore ad rēgiam venīre pāstōribus, ad rēgem impetum facit ; et ā domō Numitōris, aliā comparātā manū, adjuvat Remus. Ita rēgem obtruncat.

[6] Numitor — inter prīmum tumultum, "*hostīs invāsisse urbem atque adortōs rēgiam*" dictitāns, cum pūbem[4] Albānam,

---

1. SCĪSCITOR, ĀRIS, ĀRĪ, ĀTUS SUM, *v. tr. (+ acc. / + dē +abl.)* — questionner sur, s'informer de. [*scīscō*]

2. Adv. : « au même point ».

3. GLOBUS, -Ī, *n. m.* — globe, amas, troupe, bande.

4. PŪBĒS, -IS, -IUM *n. f.* — *juventūs.* [pubère, puberté, pubis… public ?]

in arcem præsidiō armīsque obtinendam, āvocāsset — postquam juvenēs, perpetrātā cæde, pergere ad sē grātulantēs[1] vīdit, extemplō[2], advocātō conciliō, scelera in sē frātris, orīginem nepōtum, ut genitī, ut ēducātī, ut cognitī essent ; cædem deinceps[3] tyrannī ; sēque eĵus auctōrem ostendit.

Juvenēs, per mediam contiōnem agmine ingressī ; cum avum rēgem salūtāssent, secūta ex omnī multitūdine cōnsentiēns vōx, ratum nōmen, imperiumque rēgī efficit. Ita Numitōrī Albānā rē permissā, Rōmulum Remumque cupīdō cēpit in iīs locīs ubi expositī, ubīque ēducātī erant, urbis condendæ.

Et supererat multitūdō Albānōrum Latīnōrumque ; ad id pāstōrēs quoque accesserant, quī omnēs facile spem facerent parvam Albam, parvum Lāvīnium, præ eā urbe quæ conderētur fore.

Intervenit deinde hīs cōgitātiōnibus avītum malum, rēgnī cupīdō, atque inde fœdum certāmen coortum ā satis mītī prīncipiō. Quoniam geminī essent, nec ætātis verēcundia discrīmen facere posset — ut dī quōrum tūtēlæ ea loca essent auguriīs legerent quī nomēn novæ urbī daret, quī conditam imperiō regeret — Palātium Rōmulus, Remus Aventīnum ad inaugurandum templa capiunt.

---

1. GRĀTULOR, -ĀRIS, ĀRĪ, ĀTUS SUM, v. t. — remercier, féliciter, congratuler.

2. EXTEMPLŌ, *adv.* — sur-le-champ, immédiatement. [*ex+*tempulum*]

3. DEINCEPS, *adv.* — à la suite, à son tour, en continuant : successivement. [*dein + capiō*]

[7] Priōrī Remō augurium vēnisse fertur : sex vulturēs[1]. Jamque nūntiātō auguriō, cum duplex numerus Rōmulō sē ostendisset, utrumque rēgem sua multitūdō cōnsalūtāverat : tempore illī præceptō, at hī numerō āvium rēgnum trahēbant. Inde cum[2] altercātiōne congressī, certāmine īrārum ad cædem vertuntur ; ibi in turbā ictus, Remus cecidit[3]. Vulgātior fāma est : lūdibriō, frātris Remum novōs trānsiluisse mūrōs ; inde ab īrātō Rōmulō, cum verbīs quoque increpitāns[4] adjēcisset « *Sīc deinde, quīcumque alius trānsiliet mœnia mea* », interfectum.

Ita sōlus potītus imperiō Rōmulus ; condita urbs conditōris nōmine appellāta. Palātium prīmum, in quō ipse erat ēducātus, mūniit. Sacra dīs aliīs Albānō rītū, Græcō Herculī ut ab Evandrō īnstitūta erant, facit.

---

1. VULTUR (VOLTUR), -URIS, *n. m.* — vautour. [*vellō*]

2. *cum* préposition.

3. Notez la brève dans le radical (*cecĭdit*) qui permet de distinguer le parfait de *cadō* de celui de *cædō* (*cecīdi*) *cādō* ; de même pour leurs composés.

4. < INCREPŌ, -ĀS, -ĀRE, -UĪ, -ITUM, *v. t.* ou *int.* — 1. faire un cliquetis, claquer, craquer ; se faire entendre, éclater, se répandre. 2. faire retentir, heurter, apostropher. [*crepō, corvus, cornīx*, κόραξ]

Dē Rōmulō

HERCULĒS ET CĀCUS

Herculem in ea loca, Gēryōne[1] interēmptō, bovēs mīrā speciē abēgisse memorant ; ac prope Tiberim fluvium, quā præ sē armentum agēns nandō traĵēcerat, locō herbidō, ut quiēte et pābulō lætō reficeret bovēs, et ipsum fessum viā, prōcubuisse.

Ibi, cum eum, cibō vīnōque gravātum, sopor oppressisset, pāstor accola eĵus locī, nōmine Cācus, ferōx vīribus, captus pulchritūdine boum, cum āvertēre eam prædam vellet, (quia sī agendō armentum in spēluncam compulisset, ipsa vestīgia quærentem dominum eō dēductūra erant), āversōs bovēs, — *eximium quemque pulchritūdine !* — caudīs[2] in spēluncam trāxit.

Herculēs, ad prīmam aurōram somnō excitus, cum gregem perlūstrāsset[3] oculīs, et partem abesse numerō sēnsisset,

---

1. Fils de Chrysaor, roi d'Espagne ; il possédait en outre les deux îles Baléares et Ibiza. Ce qui le fit représenter avec trois corps. Hercule lui enleva ses bœufs.

2. L'accusatif pluriel des noms de la 3ᵉ déclinaison dont le thème est en -i- (le plus souvent parisyllabiques) est soit en *-īs,* soit en *-ēs.* Ce que nous ont transmis les manuscrits est incertain. Nous avons fait le choix de les orthographier en *-īs* à chaque fois que ce n'était pas invraisemblable, et surtout quand cela pouvait aider le lecteur à analyser plus vite, en l'aidant à écarter la possibilité d'un nominatif. Il n'est pas tout à fait invraisemblables que les locuteurs du temps de Tite-Live les prononçassent justement ainsi — quand cela pouvait aider l'intelligibilité du discours.

3. PERLŪSTRŌ, -ĀS, -ĀRE…, *v. t.* — parcourir, examiner avec soin. [Cf. note 4 p. 98.]

pergit ad proximam spēluncam, sī forte eō vestīgia ferrent. Quæ ubi omnia forās versa vīdit nec in partem aliam ferre, cōnfūsus atque incertus animī, ex locō īnfēstō[1] agere porrō armentum occēpit.

Inde, cum actæ bovēs quædam ad dēsīderium, ut fit, relictārum mūgīssent, reddita inclūsārum ex spēluncā boum vōx Herculem convertit. Quem cum vādentem ad spēluncam Cācus vī prohibēre cōnātus esset, ictus clāvā, fidem[2] pāstōrum nēquīquam invocāns, morte occubuit.

Evander tum ea, profugus ex Peloponnēsō, auctōritāte magis quam imperiō, regēbat loca, venerābilis vir mīrāculō litterārum[3] — reī novæ inter rudēs artium hominēs —, venerābilior dīvīnitāte crēditā Carmentæ mātris, quam fātiloquam, ante Sibyllæ in Ītaliam adventum, mīrātæ eæ gentēs fuerant.

Is tum Evander — concursū pāstōrum trepidantium[4], circā advenam manifēstæ reum cædis, excitus — postquam facinus facinorisque causam audīvit, habitum fōrmamque virī —

1. INFĒSTUS, -A, -UM, *adj. qual* — dirigé contre, ennemi, hostile : ; mis en danger, mis en péril, infesté. [*offendō, dēfendō*]

2. Ici, « protection, patronage, assistance ».

3. Il s'agit du miracle ou l'émerveillement que suscitent ses lettres, donc de sa culture — ou, peut-être, du fait qu'il possédait la lecture et l'écriture, alors que les autochtones n'auraient pas encore à leur disposition d'alphabet.

4. TREPIDŌ, -ĀS, -ĀRE, *v. i.* — trépider, trembler, s'agiter avec inquiétude. [intrépide, trépidation]

aliquantum ampliōrem augustiōremque hūmānā — intuēns, rogitat quī vir esset.

Ubī nōmen patremque ac patriam accēpit : « *Ϝove nāte, Herculēs, salvē* » inquit. « *Tē mihi māter, vēridica interpres deum, auctūrum cælestium numerum cecinit, tibique āram hīc dicātum īrī, quam opulentissima ōlim in terrīs gēns maximam vocet, tuōque rītū colat.* »

Dextrā Herculēs datā, accipere sē ōmen, implētūrumque fāta, ārā conditā ac dicātā, ait. Ibi tum prīmum, bove eximiā captā dē grege, sacrum Herculī — adhibitīs ad ministerium[1] dapemque Potītiīs ac Pīnāriīs, quæ, tum familiæ maximē inclitæ[2], ea loca incolēbant — factum.

Forte ita ēvēnit ut Potītiī ad tempus[3] præstō essent, iīsque exta appōnerentur : Pīnāriī, extīs adēsīs[4], ad cēteram venīrent dapem. Inde īnstitūtum mānsit, dōnec Pīnārium genus fuit, nē extīs eōrum sollemnium vēscerentur[5]. Potītiī, ab Evandrō ēdoctī, antistitēs[6] sacrī eĵus per multās ætātēs fuerunt, dōnec,

---

1. MINISTERIUM, -Ī, *n. nt.* — fonction de serviteur, service, fonction. [*minister, minus* + *-ter* (*Cf. magister*) ; ministre, ménestrel, administrer]

2. INCLITUS (INCLUTUS), -A, -UM, *adj. qual.* — célèbre, fameux, -se. [κλέϝος]

3. À l'heure.

4. ADEDO, -EDIS ou -ĒS, -EDERE ou -ĒSSE, -ĒDĪ, -ĒSUM — manger, ronger. [comestible, есть]

5. VĒSCOR, -ERIS, -Ī, *v.* + *abl.* — se nourrir de, se régaler de. [Étymologie peu claire ; on peut, pour se souvenir, penser à *vorō*, à *venter*]

6. ANTISTES, ANTISTITIS, *n. m.* et *f.* — prêtre, prêtresse. [*stō*]

trāditō servīs pūblicīs sollemnī familiæ ministeriō, genus omne Potītiōrum[1] interiit.

Hæc tum sacra Rōmulus ūna ex omnibus peregrīna[2] suscēpit, jam tum immortālitātis virtūte partæ — ad quam eum sua fāta dūcēbant — fautor[3].

Quomodo Rōmānus populus crēverit

[8] Rēbus dīvīnīs rīte perpetrātīs, vocātāque ad concilium multitūdine — quæ coalēscere in populī ūnīus[4] corpus nūlla rē præterquam lēgibus poterat — jūra dedit. Quæ ita sāncta generī hominum agrestī fore ratus, sī sē ipse venerābilem īnsignibus imperiī fēcisset — cum cēterō habitū, sē augustiōrem, tum maximē līctōribus[5] duodecim sūmptīs, fēcit.

Aliī, ab numerō avium quæ auguriō rēgnum portenderant[6], eum secūtum numerum putant. Mē haud pænitet eōrum sententiæ esse, quibus et appāritōrēs[7] hoc genus[8] ab Etrūscīs fīnitimīs (unde sella curūlis, unde toga prætexta sūmpta est),

---

1. *Cf.* IX, 29 et 34 ; Cic. *Nat. Deōr.*, II, 4 ; Macrobe, *Sat.* lII, 6 ; *Orīg. Gent. Rōm.*, VIII ; et surtout Valère Maxime, I, 1, 17, et les notes des interprètes. L'extinction de cette famille est rapportée à l'an de Rome 441 (312 av. J.-C.).

2. PEREGRĪNUS, A, UM, adj. qual. — de l'étranger, étranger, pérégrin (par oppos. à citoyen, c.-à-d. ce qui relève des provinciaux et des peuples indépendants de Rome). [*peregre* < *per* + *ager* ; pérégrination, pèlerin]

3. FAUTOR, -ŌRIS, *n. m.* — appui, soutien, défenseur, partisan. [*faveō*]

4. Le génitif des pronoms-adjectifs en -ius peut aussi bien porter un -ĭ- qu'un -ī- : nous notons un -ī- parce qu'il aide à repérer le génitif.

5. LĪCTOR, -ŌRIS, *n. m.* — licteur, qui précède les magistrats pourvus de la *potestās cum imperiō*. Il porte sur l'épaule les *fascēs*, et dans la main droite une *virga*. [Le mot est pour les latins lié à *ligāre*.]

6. PORTENDŌ, -IS, -ERE, -DĪ, -TUM, *v. t.* — prédire, présager, annoncer. [*por/prō* + *tendō*, « tendre (la main) en avant, indiquer »]

et numerum quoque ipsum, ductum placet — et ita habuisse Etrūscōs quod, ex duodecim populīs commūniter creātō rēge, singulōs singulī populī līctōrēs dederint.

Crēscēbat interim urbs mūnītiōnibus, alia atque alia appetendō loca, cum, in spem magis futūræ multitūdinis quam ad id quod tum hominum erat, mūnīrent. Deinde, nē vāna urbis magnitūdō esset, adjiciendæ multitūdinis causā — vetere cōnsiliō condentium urbēs, quī obscūram atque humilem conciendō[1] ad sē multitūdinem, nātam ē terrā sibi prōlem ēmentiēbantur[2] —, locum, quī nunc sæptus dēscendentibus inter duōs lūcōs est, asȳlum[3] aperit.

Eō, ex fīnitimīs populīs turba omnis, sine discrīmine līber an servus esset, avida novārum rērum perfūgit ; idque prīmum, ad cœptam magnitūdinem, rōboris fuit. Cum jam vīrium haud pænitēret[4], cōnsilium deinde vīribus parat. Centum creat senātōrēs, sīve quia is numerus satis erat, sīve quia sōlī centum erant quī creārī patrēs possent. Patrēs certē ab honōre, patriciīque prōgeniēs eōrum appellātī.

---

7. APPĀRITOR, -ŌRIS, n. m. — appariteur, huissier attaché au service d'un magistrat (licteurs, scribes, hérauts…). [< *appāreō + dat.*, « être près de qqn pour le servir, être au service de »]

8. Accusatif de relation, fréquent avec *genus* [*hoc genus = huĵus generis*].

1. CONCIŌ, CĪS, CĪRE, CĪVĪ, CĪTUM, *v. t.* — mettre en mouvement ensemble, exciter, soulever, rassembler. [*con + cieō>ciō* ; κινεῖν, exciter, inciter, susciter, ressusciter, souci, cinéma]

2. *Cf.* la légende des Spartes, nés des dents du dragon jetées dans la terre, qui auraient aidé Cadmos à fonder Thèbes.

3. Du grec ἄσυλος, inviolable.

4. PÆNITET, -ĒRE, -UIT, *v. impersonnel + acc. personne + gén. chose* — mécontenter, manquer à, ne pas suffire à, faire regretter. *Alicuĵus reî mē pænitet* : il me manque quelque chose, je regrette quelque chose.

[9] Jam rēs Rōmāna adeō erat valida, ut cuilibet fīnitimārum cīvitātum bellō pār esset. Sed, pēnūriā mulierum, hominis ætātem[1] dūrātūra magnitūdō erat — quippe quibus nec domī spēs prōlis, nec cum fīnitimīs cōnubia essent. Tum, ex cōnsiliō patrum, Rōmulus lēgātōs circā vīcīnās gentēs mīsit, quī societātem cōnubiumque novō populō peterent :

"Urbēs quoque, ut cētera, ex īnfimō nāscī ; dein — quās sua virtūs ac dī juvent — magnās opēs sibi, magnumque nōmen, facere. Satis scīre orīginī Rōmānæ et deōs adfuisse, et nōn dēfutūram virtūtem. Proinde nē gravārentur hominēs cum hominibus sanguinem ac genus miscēre."

Nusquam benignē lēgātiō audīta est : adeō simul spernēbant ; simul tantam in mediō crēscentem mōlem, sibi ac posterīs suīs, metuēbant. Ac plērīsque rogitantibus dīmissī : "*ecquod*[2] *fēminīs quoque asȳlum aperuissent ? id enim dēmum compār cōnubium fore."*

Ægrē id Rōmāna pūbēs passa ; et haud dubiē ad vim spectāre rēs cœpit. Cui tempus locumque aptum ut daret, Rōmulus, ægritūdinem animī dissimulāns, lūdōs ex industriā[3] parat Neptūnō Equestrī sollemnēs ; Cōnsuālia[4] vocat.

---

1. Le temps d'un homme, c'est-à-dire une génération.

2. ECQUĪ, ECQUÆ, ECQUOD, *adj. interr.* — est-ce que quelque… [*ecce*].

3. INDUSTRIA, -Æ, *n. f.* — zèle, activité ; *ex industriā* : à dessein. [*indu- = in + struō*]

4. Ces fêtes, célébrées le 18 ou le 21 août, tiraient leur nom du dieu *Cōnsus*, auquel elles étaient consacrées. Suivant les uns, ce nom équivalait à *equestrēs* (*Cōnsus et eques Neptūnus dīcitur*, dit Servius) ; suivant d'autres, il serait l'équivalent du surnom σεισίχθων, donné par les Grecs à Neptune,

Indicī deinde fīnitimīs spectāculum jubet. Quantōque apparātū tum sciēbant aut poterant, concelebrant, ut rem clāram exspectātamque facerent. Multī mortālēs convēnēre, studiō etiam videndæ novæ urbis, maximē proximī quīque : Cænīnēnsēs, Crustumīnī, Antemnātēs[1] — jam Sabīnōrum omnis multitūdō, cum līberīs ac conjugibus, vēnit.

Invītātī hospitāliter per domōs, cum situm mœniaque et frequentem tēctīs urbem vīdissent, mīrantur tam brevī rem Rōmānam crēvisse. Ubī spectāculī tempus vēnit, dēditæque eō mentēs cum oculīs erant, tum ex compositō orta vīs ; signōque datō, juventūs Rōmāna ad rapiendās virginēs discurrit.

Magna pars forte, in quem quæque inciderat, raptæ[2] ; quāsdam fōrmā excellentēs, prīmōribus patrum dēstinātās, ex plēbe hominēs, quibus datum negōtium erat, domōs[3] dēferēbant.

Ūnam, longē ante aliās speciē ac pulchritūdine īnsignem, ā globō[4] Thalassī cuĵusdam raptam ferunt — multīsque

---

et devrait être rapproché de *concussor* ; suivant d'autres encore *Cōnsus* serait le participe d'un vieux verbe *cōnsō*, (*cōnsulō*), d'où il résulterait que *Cōnsus* était le dieu du conseil (voy. Plut. *Rōm.*, 14 ; Festus, s. v. *Cōnsuālia* ; Arnob., *Adv. gent.*, III, p. 115). [Le Bas indique ensuite qu'il préfère le rapprochement avec *condō,* qu'Ernout et Meillet rejettent.]

1. Les peuples de Cænina, Crustumerium et Antemnes, « villes » situées entre Rome et le territoire sabin. Antemnes et Cænina seront peu à peu absorbées dans la périphérie de l'*urbs* ; Crustumerium se situe à une vingtaine de kilomètres au nord de Rome.

2. Accord selon le sens avec le sujet « *magna pars* ».

3. Celles des *prīmōrēs patrum.*

4. GLOBUS, -ī, *n. m.* — globe, boule ⟶ amas, masse ⟶ peloton, groupe…

scīscitantibus cuinam eam ferrent, identidem[1], nē quis violāret, « *Thalassiō* ! » ferrī clāmitātum. Inde nūptiālem hanc vōcem factam.

Turbātō per metum lūdicrō, mæstī parentēs virginum profugiunt, incūsantēs violātī hospitiī fœdus, deumque invocantēs cuĵus ad sollemne lūdōsque, per fās ac fidem, dēceptī vēnissent. Nec raptīs, aut spēs dē sē melior, aut indignātiō est minor.

Sed ipse Rōmulus circumībat ; docēbatque "*patrum id superbiā factum, quī cōnubium fīnitimīs negāssent. Illās tamen in mātrimōniō, in societāte*[2] *fortūnārum omnium, cīvitātisque — et, quō nihil cārius hūmānō generī sit, līberum*[3] *— fore : mollīrent modo īrās et, quibus fors corpora dedisset, darent animōs ; sæpe ex injūriā postmodum grātiam ortam. Eōque meliōribus ūsūrās*[4] *virīs : quod adnīsūrus prō sē quisque*[5] *sit, ut, cum suam vicem*[6] *fūnctus officiō sit, parentium etiam patriæque expleat dēsīderium."*

---

1. IDENTIDEM, *adv.* — sans cesse, continuellement, encore et encore, à chaque fois.

2. SOCIETĀS, -ĀTIS, *n. f.* — société, association, communauté, possession en commun. [*Cf. sociō*, « mettre en commun »]

3. = *līberōrum*, complément du nom *societās.* Le pronom relatif *quō* a pour « antécédent » « *in societāte līberum fore* ».

4. < *ūtor,* dans le sens de « fréquenter ».

5. *prō sē quisque* = « chacun de son côté ».

6. *suam vicem* — tournure à l'accusatif à valeur adverbiale : « pour soi ».

Accēdēbant blanditiæ virōrum, factum pūrgantium[1] cupiditāte atque amōre — quæ maximē ad muliebre ingenium efficācēs precēs sunt.

Bella Sabīna

[10] Jam, admodum mītigātī animī raptīs erant. At raptārum parentēs tum maximē — sordidā veste, lacrimīsque et querellīs — cīvitātēs concitābant. Nec domī tantum indignātiōnēs continēbant ; sed congregābantur undique ad T. Tatium rēgem Sabīnōrum, et lēgātiōnēs eō — quod maximum Tatī nōmen in iīs regiōnibus erat — conveniēbant.

Cænīnēnsēs Crustumīnīque, et Antemnātēs erant ad quōs eĵus injūriæ pars pertinēbat. Lentē agere hīs Tatius Sabīnīque vīsī sunt : ipsī inter sē trēs populī commūniter bellum parant. Nē Crustumīnī quidem atque Antemnātēs, prō ārdōre īrāque Cænīnēnsium, satis sē impigrē movent : ita, per sē ipsum, nōmen Cænīnum in agrum Rōmānum impetum facit.

Sed effūsē vastantibus, fit obvius cum exercitū Rōmulus ; levīque certāmine, docet vānam sine vīribus īram esse. Exercitum fundit fugatque ; fūsum persequitur. Rēgem in prœliō obtruncat et spoliat ; duce hostium occīsō, urbem prīmō impetū capit.

Inde, exercitū victōre reductō — ipse cum factīs vir magnificus, tum factōrum ostentātor haud minor — spolia

1. PŪRGŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — purifier, nettoyer, purger ; excuser, justifier. [*pūrus + agō*]

ducis hostium cæsī suspēnsa — fabricātō ad id aptē ferculō[1] — gerēns, in Capitōlium ēscendit. Ibique ea cum ad quercum, pāstōribus sacram, dēposuisset, simul cum dōnō dēsignāvit templō Jovis fīnīs. Cognōmenque addidit deō :

« *Juppiter Feretrī*[2], inquit, *hæc tibi — victor Rōmulus rēx — rēgia arma ferō ; templumque, hīs regiōnibus quās modo animō mētātus sum*[3]*, dēdicō — sēdem opīmīs spoliīs quæ, rēgibus ducibusque hostium cæsīs, mē auctōrem sequentēs, posterī ferent.* »

Hæc templī est orīgō, quod prīmum omnium Rōmæ sacrātum est. Ita deinde dīs vīsum nec inritam conditōris templī vōcem esse — quā lātūrōs eō spolia posterōs nuncupāvit — nec, multitūdine compotum[4], ejus dōnī vulgārī laudem. Bīna posteā[5], inter tot annōs, tot bella, opīma parta sunt spolia : adeō rāra ejus fortūna decoris fuit.

[11] Dum ea ibi Rōmānī gerunt, Antemnātium exercitus, per occāsiōnem ac sōlitūdinem, hostīliter in fīnīs Rōmānōs

---

1. FERCULUM, -ī, *n. nt.* — plateau, brancard. [*ferō,* φέρετρον, d'où *feretrum*]

2. Pour les Latins, cette épithète venait de *ferculum* = *feretrum.*

3. MĒTOR, -ĀRIS, ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. t.* — arpenter, fixer les limites de, mesurer. [de *mēta*, borne ; influencé par *mētior*]

4. COMPOS, -OTIS, *adj.* — maître de ; qui possède, a obtenu. [*cum, potis*]

5. L'an de Rome 318 (415 avant J.-C.), A. Cornélius Cossus enleva les dépouilles opimes sur Lars Tolumnius, roi des Véiens, et l'an 552 (221 av. J.-C.) M. Claudius Marcellus obtint le même honneur en tuant Viridomartus, chef des Gaulois (*cf.* IV, 20 ; et Plut. *Rom.*, 16). Sur l'étymologie du mot *opīma*, *cf.* Plut., l. c. Le général qui avait remporté les dépouilles opimes entrait dans Rome monté sur un char à quatre chevaux portant son trophée sur son épaule (Plut., *ibid.*).

incursiōnem facit. Raptim et ad hōs Rōmāna legiō ducta, palātōs[1] in agrīs oppressit. Fūsī igitur prīmō impetū et clāmōre hostēs, oppidum captum ; duplicīque victōriā ovantem, Rōmulum Hersilia conjūnx, precibus raptārum fatīgāta, ōrat ut parentibus eārum det veniam, et in cīvitātem accipiat : "*ita rem coalēscere*[2] *concordiā posse.*" Facile impetrātum.

Inde contrā Crustumīnōs prōfectus, bellum īnferentēs. Ibi minus etiam — quod aliēnīs clādibus ceciderant animī — certāminis fuit. Utrōque colōniæ missæ : plūrēs inventī quī, propter ūbertātem terræ in Crustumīnum, nōmina darent[3]. Et Rōmam inde frequenter migrātum est, ā parentibus maximē ac propinquīs raptārum.

Novissimum ab Sabīnīs bellum ortum ; multōque id maximum fuit. Nihil enim per īram aut cupiditātem āctum est ; nec ostenderunt bellum prius quam intulerunt : cōnsiliō etiam additus dolus.

Sp. Tarpeĵus Rōmānæ præerat arcī. Huĵus fīliam virginem aurō corrumpit Tatius, ut armātōs in arcem accipiat : aquam forte ea tum sacrīs, extrā mœnia, petītum ierat. Acceptī, obrutam[4] armīs necāvēre[5] — seu ut vī captā potius arx

---

1. PĀLOR, -ĀRIS, ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. i.* — errer çà et là, se disperser, s'égailler, s'éparpiller. [πλανᾶν, πλανήτης ?]

2. COALĒSCŌ, -IS, -ERE, -ALUĪ, -ALITUM, *v. i.* — croître ensemble : s'unir, se lier ; se développer. [*cum, alō*]

3. pour être inscrits sur les listes de colons.

4. OBRUŌ, -IS, -ERE, -UĪ, -UTUM, *v. t.* — recouvrir d'un amas, charger, ensevelir, étouffer, écraser. [*ruō, ruīna*]

5. NECŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — tuer, faire périr. [*noceō, noxa, nex* ; νεκρός, νέκυια, νέκταρ]

vidērētur, seu prōdendī exemplī causā, nē quid usquam fīdum prōditōrī esset.

Additur fābula — quod vulgō Sabīnī aureās armillās magnī ponderis brāchiō lævō, gemmātōsque magnā speciē ānulōs habuerint — pepigisse[1] eam quod in sinistrīs manibus habērent : eō[2] scūta[3] illī, prō aureīs dōnīs, congesta. Sunt quī "*eam, ex pactō trādendī quod in sinistrīs manibus esset, dērēctō*[4] *arma petīsse* dīcant, *et fraude vīsam*[5] *agere, suā ipsam perēmptam*[6] *mercēde.*"

[12] Tenuēre tamen arcem Sabīnī. Atque inde posterō diē — cum Rōmānus exercitus īnstrūctus, quod inter Palātīnum Capitōlīnumque collem campī est complēsset — nōn prius dēscenderunt in æquum quam, īrā et cupiditāte reciperandæ arcis stimulante animōs, in adversum Rōmānī subiēre.

Prīncipēs[7] utrimque[8] pugnam ciēbant : ab Sabīnīs Mettius Curtius[9], ab Rōmānīs Hostius Hostīlius. Hic rem Rōmānam,

---

1. PANGŌ, -IS, -ERE, PEPIGĪ, PĀCTUM, *v. t.* — ficher, enfoncer, planter → établir solidement, fixer, déterminer (il s'agit ici de la récompense qu'elle exigea) // écrire, composer. [*pāx,* impact]

2. = *eā rē.*

3. SCŪTUM, -Ī, *n. nt.* — grand bouclier oblong ; s'oppose au *clipeus* rond. [*obscūrus* ?]

4. = *dīrēctō.*

5. s.-e. *Sabīnīs.*

6. PERIMŌ, -IS, -ERE, -ĒMĪ, -ĒMPTUM, *v. t.* — détruire, anéantir.

7. des *leaders.*

8. UTRIMQUE, *adv.* — de part et d'autre, des deux côtés.

9. METTIUS CURTIUS ; HOSTIUS HOSTILIUS, *n. m.* — On pourrait entendre dans le premier nom quelque chose comme « Lemesuré Raccourci », et dans le second « Adversaire Adversatif » : la scène n'en est-elle pas plus

inīquō locō, ad prīma signa, animō atque audāciā sustinēbat. Ut Hostius cecidit, cōnfestim Rōmāna inclīnātur aciēs, fūsaque est. Ad veterem portam Palātī, Rōmulus, et ipse turbā fugientium āctus, arma ad cælum tollēns :

« *Juppiter, tuīs, inquit, jussus avibus hīc in Palātiō, prīma urbī fundāmenta jēcī. Arcem jam scelere ēmptam Sabīnī habent ; inde hūc armātī, superātā*[1] *mediā valle, tendunt. At tū, pater deum hominumque, hinc saltem arcē hostēs ; dēme terrōrem Rōmānīs, fugamque fœdam siste*[2]*. Hīc ego tibi templum Statōrī*[3] *Jovī — quod monumentum*[4] *sit posterīs tuā præsentī ope servātam urbem esse — voveō.* »

Hæc precātūs, velutī sēnsisset audītās precēs : « *Hinc,* inquit, *Rōmānī, Juppiter optimus maximus resistere atque iterāre pugnam jubet.* » Restitēre Rōmānī, tamquam cælestī vōce jussī ; ipse ad prīmōrēs Rōmulus prōvolat.

---

pittoresque ? Quoi qu'il en soit, chacun représente le premier ancêtre d'une *gēns* illustre. Mettius Curtius serait l'ancêtre de Mārcus Curtius qui, en 362 se jeta dans un gouffre qui menait aux enfers… là où se trouvait, à l'époque républicaine, le *lacus Curtius.* L'autre Curtius que nous connaissons bien est *Quīntus Curtius Rūfus* : Quinte-Curce. Hostius Hostilius est censé être le grand-père du roi Tullus Hostilius, et de nombreux personnages importants de la République et de l'empire, parmi lesquels *Gaĵus Hostilius Mancīnus*, consul en 137, est sans doute le plus marquant, à cause de l'affaire de Numance (Plutarque, *Vie de Tibérius et Caius Gracchus*).

1. SUPERŌ, -ĀS, ĀRE… — ici, « franchir ».

2. SISTŌ, -IS, -ERE, STETĪ/STITĪ, STATUM, *v. t. & i.* — s'arrêter ; arrêter. [forme à redoublement de *stō*]

3. Qui arrête les fuyards. Voir la note précédente.

4. *Monumentum* est un « nom verbal », issu de *moneō*, suivi d'une proposition infinitive qui le complète. *Cf. Nūntius Cæsar advenīre.*

Mettius Curtius, ab Sabīnīs prīnceps, ab arce dēcucurrerat et effūsōs ēgerat Rōmānōs, tōtō quantum forō spatium est[1]. Nec procul jam ā portā Palātī erat, clāmitāns : « *Vīcimus perfidōs hospitēs, imbellēs hostēs ; jam sciunt longē aliud esse virginēs rapere, aliud pugnāre cum virīs.* »

In eum, hæc glōriantem, cum globō ferōcissimōrum juvenum, Rōmulus impetum facit. Ex equō tum forte Mettius pugnābat ; eō pellī facilius fuit. Pulsum Rōmānī persequuntur ; et alia Rōmāna aciēs, audāciā rēgis accēnsa, fundit Sabīnōs.

Mettius in palūdem sēsē — strepitū[2] sequentium trepidante equō — conjēcit. Āverteratque ea rēs etiam Sabīnōs — tantī perīculō virī. Et ille quidem, adnuentibus[3] ac vocantibus suīs, favōre multōrum additō animō, ēvādit.

Rōmānī Sabīnīque, in mediā convalle duōrum montium, redintegrant prœlium ; sed rēs Rōmāna erat superior.

[13] Tum Sabīnæ mulierēs, quārum ex injūriā bellum ortum erat, crīnibus passīs scissāque veste — vīctō malīs muliebrī pavōre[4] — ausæ sē inter tēla volantia īnferre, ex trānsversō[5]

---

1. Notez le présent : il s'agit du forum tel qu'il est à l'époque de Tite-Live.

2. STREPITUS, -ŪS, *n. m.* — bruit sourd et violent, vacarme, tumulte.

3. ADNUŌ, -IS, -ERE, *v. t & i.* — faire des signes ⟶ hocher la tête pour approuver, approuver. [νεύω, it. *annuire*, port. *anuir*]

4. PAVOR, PAVŌRIS, *n. f.* — peur, émotion, anxiété, épouvante, effroi, crainte. [peur, impavide]

5. EX TRĀNSVERSŌ, *loc. adv.* — inopinément.

impetū factō, dirimere[1] īnfēstās aciēs, dirimere īrās — hinc patrēs, hinc virōs ōrantēs, nē sanguine sē nefandō socerī[2] generīque[3] respergerent, nē parricīdiō maculārent partūs suōs, nepōtum illī, hī līberum prōgeniem.

« *Sī adfīnitātis inter vōs, sī cōnubiī piget, in nōs vertite īrās : nōs causa bellī, nōs vulnerum ac cædium virīs ac parentibus sumus. Melius perībimus quam, sine alterīs vestrum, viduæ aut orbæ vīvēmus.* »

Movet rēs cum multitūdinem tum dūcēs : silentium et repentīna fit quiēs. Inde ad fœdus faciendum ducēs prōdeunt. Nec pācem modo, sed cīvitātem ūnam ex duābus, faciunt. Rēgnum cōnsociant : imperium omne cōnferunt Rōmam. Ita geminātā urbe, ut Sabīnīs tamen aliquid darētur, Quirītēs ā Curibus[4] appellātī.

Monumentum eĵus pugnæ — ubi prīmum, ex profundā ēmersus palūde[5], equus Curtium in vadō statuit — Curtium lacum appellārunt. Ex bellō tam trīstī, læta repente pāx cāriōrēs Sabīnās virīs, ac parentibus, et ante omnēs Rōmulō ipsī, fēcit.

Itaque, cum populum in cūriās trīgintā dīvideret, nōmina eārum cūriīs imposuit. Id nōn trāditur, cum haud dubiē aliquantō numerus maĵor hōc mulierum fuerit, ætāte an

---

1. DIRIMŌ, -IS, -ERE, -ĒMĪ, -ĒMPTUM, *v. t.* — partager, séparer, désunir, rompre. [*dis-, emō, perimō* ; dirimer, dirimant]

2. SOCER, -ERĪ, *n. m.* — beau-père. [ἑκυρός]

3. GENER, -ERĪ, n. m. — gendre.

4. CURĒS, CURIUM, *n. pl.* — Cures, ville sabine, située à 40 km en amont de Rome.

5. PALŪS, -ŪDIS, *n. f.* — marais, étang. [*palud, paludisme*]

dignitātibus, suīs virōrumve, an sorte lēctæ sint quæ nōmina cūriīs darent.

Eōdem tempore et centuriæ trēs equitum cōnscrīptæ sunt. *Ramnēnsēs*[1] ab Rōmulō, ab T. Tatiō *Titiēnsēs* appellātī : *Lūcerum* nōminis et orīginis causa incerta est. Inde nōn modo commūne, sed concors etiam, rēgnum duōbus rēgibus fuit.

[14] Post aliquot annōs, propinquī rēgis Tatī lēgātōs Laurentium pulsant ; cumque Laurentēs jūre gentium agerent[2], apud Tatium grātia suōrum[3] et precēs plūs poterant. Igitur illōrum pœnam in sē vertit : nam Lāvīniī, cum ad sollemne sacrificium eō vēnisset, concursū factō, interficitur.

Eam rem minus ægrē quam dignum erat tulisse Rōmulum ferunt, seu ob īnfīdam societātem rēgnī, seu quia haud injūriā cæsum crēdēbat. Itaque bellō quidem abstinuit ; ut tamen expiārentur lēgātōrum injūriæ, rēgisque cædēs, fœdus inter Rōmam [4]Lāvīniumque urbēs renovātum est.

---

1. D'après Baillet, ces trois noms sont sans doute des noms étrusques de clans ou de tribus.

2. Dans le sens d'intenter une action en justice.

3. Il s'agit d'un génitif objectif : c'est la complaisance à l'égard des siens.

4. Il n'est pas facile de comprendre comment un traité entre Rome et Lavinium pouvait expier l'outrage fait aux députés, ainsi que le meurtre de Tatius : car ce mot d'expiation emporte toujours l'idée de cérémonies religieuses. Il faut qu'elles soient comprises dans *fœdus*, car Denys d'Halicarnasse (II, 53) et Plutarque, *Vie de Romulus* (c. 24), en font mention expresse. Ainsi les cérémonies qui accompagnèrent la conclusion du traité furent destinées à apaiser les dieux, et les deux peuples, compensant l'insulte par le sang, et le sang par l'insulte, se tinrent pour satisfaits. (Liez)

Et cum hīs quidem, īnspērāta pāx erat : aliud multō propius, atque in ipsīs prope portīs, bellum ortum. Fīdēnātēs[1], nimis vīcīnās prope sē convalēscere opēs ratī, priusquam tantum rōboris esset quantum futūrum appārēbat, occupant bellum facere. Juventūte armātā immissā, vastātur agrī quod inter urbem ac Fīdēnās est.

Inde ad lævam versī, quia dextrā Tiberis arcēbat, cum magnā trepidātiōne agrestium[2] populantur ; tumultusque repēns[3], ex agrīs in urbem inlātus, prō nūntiō fuit. Excitus Rōmulus — neque enim dīlātiōnem patī tam vīcīnum bellum poterat — exercitum ēdūcit ; castra ā Fīdēnīs mīlle passuum locat.

Ibi modicō præsidiō relictō, ēgressus omnibus cōpiīs, partem mīlitum, locīs circā dēnsa obsita[4] virgulta[5] obscūrīs, subsīdere in īnsidiīs jussit. Cum parte maĵōre atque omnī equitātū profectus, id quod quærēbat, tumultuōsō et minācī genere pugnæ, adequitandō[6] ipsīs prope portīs, hostem excīvit.

Fugæ quoque, quæ simulanda erat, eadem equestris pugna causam minus mīrābilem dedit. Et cum, velut inter pugnæ

1. Ancienne ville du Latium, près du Tibre, à l'embouchure de l'Anio.

2. AGRESTIS, -IS, *n. m.* — paysan.

3. REPĒNS, -ENTIS, *adj. qual* — soudain, imprévue, subit.

4. OBSITUS, -A, -UM, *part. parf. pass.* — semé, ensemencé, planté → couvert de, rempli de.

5. VIRGULTA, ŌRUM, *n. nt.* — branches, branchages, broussailles.

6. ADEQUITŌ, -ĀS, -ĀRE, *v. i.* — s'approcher à cheval.

fugæque cōnsilium trepidante equitātū, pedēs[1] quoque referret gradum, plēnīs repente portīs effūsī hostēs, impulsā Rōmānā aciē, studiō īnstandī sequendīque trahuntur ad locum īnsidiārum. Inde subitō exortī, Rōmānī trānsversam invādunt hostium aciem ; addunt pavōrem mōta ē castrīs signa eōrum quī in præsidiō relictī fuerant.

Ita multiplicī terrōre perculsī[2] Fīdēnātēs — prius pæne quam Rōmulus, quīque āvehī cum eō vīsī erant, circumagerent[3] frēnīs equōs — terga vertunt. Multōque effūsius, quippe vērā fugā, quī simulantīs paulō ante secūtī erant oppidum repetēbant. Nōn tamen ēripuēre sē hostī : hærēns in tergō Rōmānus, priusquam forēs portārum objicerentur, velut agmine ūnō inrumpit.

[15] Bellī Fīdēnātis contāgiōne inrītātī Veĵentium animī, et cōnsanguinitāte — nam Fīdēnātēs quoque Etrūscī fuerunt —, et[4] quod ipsa propinquitās locī — sī Rōmāna arma omnibus īnfēsta fīnitimīs essent — stimulābat, in fīnīs Rōmānōs excucurrerunt populābundī magis quam jūstī mōre bellī.

Itaque nōn castrīs positīs, nōn exspectātō hostium exercitū, raptam ex agrīs prædam portantēs, Veĵōs rediēre.

---

1. Singulier à valeur collective.

2. PERCELLO, -IS, -ERE, -CULĪ, -CULSUM, *v. t.* — abattre, renverser, frapper, bouleverser. [*clādēs, clāva, gladius* ; κλᾰ́ω, колóть]

3. Ils ont déjà fait demi-tour en simulant la fuite ; ils s'apprêtaient donc à terminer leur tour complet sur eux-mêmes pour se lancer à nouveau sur les Fidénates.

4. Tite-Live coordonne ici un complément de cause à l'ablatif et une conjonctive de cause.

Rōmānus contrā, postquam hostem in agrīs nōn invēnit, dīmicātiōnī[1] ultimæ īnstrūctus intentusque, Tiberim trānsit. Quem postquam castra pōnere, et ad urbem accessūrum, Veĵentēs audīvēre, obviam ēgressī ut potius aciē dēcernerent, quam inclūsī dē tēctīs mœnibusque dīmicārent.

Ibi vīribus nūllā arte adjūtīs, tantum veterānī rōbore exercitūs rēx Rōmānus vīcit ; persecūtusque fūsōs ad mœnia hostīs, urbe validā mūrīs ac sitū ipsō mūnītā, abstinuit. Agrōs rediēns vastat, ulcīscendī magis quam prædæ studiō ; eāque clāde haud minus quam adversā pugnā subāctī, Veĵentēs pācem petītum ōrātōrēs Rōmam mittunt. Agrī parte multātīs[2], in centum annōs indūtiæ[3] datæ.

Hæc fermē Rōmulō rēgnante domī mīlitiæque gesta, quōrum nihil absonum fideī dīvīnæ orīginis, dīvīnitātisque post mortem crēditæ, fuit : nōn animus in rēgnō avītō reciperandō, nōn condendæ urbis cōnsilium, nōn bellō ac pāce firmandæ. Ab illō enim profectō vīribus datīs, tantum valuit ut in quadrāgintā deinde annōs tūtam pācem habēret.

---

1. DĪMICĀTIŌ, -ŌNIS, *n. f.* — combat, bataille, lutte. [*micō*, « scintiller, palpiter » > *dīmicō*, « s'agiter en tous sens ; мечта (« rêve ») ; le rapprochement avec *mīca* (> mie, miette) proposé par Gaffiot est sans doute faux.]

2. MULTŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. + acc. +abl.*. — punir quelqu'un de quelque chose, par la privation de quelque chose. [*multa* (lat., it. , esp. port.), « amende » ; mulcter, « condamner à plusieurs reprises », terme de droit désuet]

3. INDŪTIÆ, —ĀRUM, *n. f. pl.* — armistice, trêve. [*indu,* « dans » ⟶ chez soi + *itum* < *eō* ; *cf. domī mīlitiæque*]

Multitūdinī tamen grātior fuit quam patribus — longē ante aliōs acceptissimus mīlitum animīs ; trecentōsque armātōs ad cūstōdiam corporis, quōs *Celerēs* appellāvit, nōn in bellō sōlum, sed etiam in pāce habuit.

Quomodo Rōmulus deus factus sit

[16] Hīs immortālibus ēditīs operibus, cum, ad exercitum recēnsendum, contiōnem in campō ad Capræ palūdem habēret, subitō coorta tempestās, cum magnō fragōre tonitribusque, tam dēnsō rēgem operuit nimbō, ut cōnspectum eĵus contiōnī abstulerit. Nec deinde in terrīs Rōmulus fuit.

Rōmāna pūbēs, sēdātō[1] tandem pavōre, postquam ex tam turbidō diē, serēna et tranquilla lūx rediit, ubi vacuam sēdem rēgiam vīdit — etsī satis crēdēbat patribus quī proximī steterant [2]*sublīmem raptum procellā*[3] — tamen velut orbitātis metū icta, mæstum aliquamdiū silentium obtinuit. Deinde, ā paucīs initiō factō, "*deum deō nātum, rēgem parentemque urbis Rōmānæ*" salvēre[4] ūniversī Rōmulum jubent ; pācem[5] precibus

1. SĒDŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — faire asseoir ; calmer, apaiser. [causatif de *sedeō* ; sédatif]

2. On peut sous-entendre « *eum esse* ».

3. PROCELLA, -Æ, *n.f.* — orage, bourrasque, ouragan. [*percellō, clādēs, calamitās*, κλάω, коло́ть]

4. *Jubēō salvēre* : « saluer ».

5. En parlant des dieux, *pāx* signifie « faveur, bienveillance, assistance ».

exposcunt, utī volēns propitius[1] suam semper sospitet[2] prōgeniem.

Fuisse crēdō tum quoque aliquōs quī "*discerptum*[3] *rēgem patrum manibus"* tacitī arguerent[4]. Mānāvit[5] enim hæc quoque sed perobscūra fāma ; illam alteram admīrātiō virī, et pavor præsēns, nōbilitāvit.

Et cōnsiliō etiam ūnīus hominis, addita reī dīcitur fidēs. Namque Proculus Jūlius, sollicitā cīvitāte dēsīderiō rēgis, et īnfēnsā patribus, gravis, ut trāditur, quamvīs magnæ reī auctor in contiōnem prōdit :

« *Rōmulus,* inquit, *Quirītēs, parēns urbis huĵus, prīmā hodiernā lūce, cælō repente dēlāpsus, sē mihi obvium dedit. Cum, perfūsus horrōre venerābundusque, adstitissem, petēns precibus ut contrā intuērī fās esset :* "Abī, nūntiā, inquit, Rōmānīs, cælestīs ita velle ut mea Rōma caput orbis terrārum sit. Proinde rem mīlitārem cōlant, sciantque et ita posterīs trādant nūllās opēs hūmānās armīs Rōmānīs resistere posse."

---

1. PROPITIUS, -A, -UM, *adj. qual.* — favorable, bienveillant (en parlant des dieux). [*prō, petō, præpes*, πρόπετης, propice]

2. *sospitō, -ās, āre* < SOSPES, -ITIS, *adj. qual.* — sain et sauf ; qui sauve, sauveur. [*hospes, potis, sē, σῴζω ?*]

3. [καρπός, <carp ; charpie, écharper, déchirer (du fcq.) ; *harvest, sharp, shear, excerpt* ; *herbst ;* чéрeп (« crâne »)]

4. ARGUŌ, -IS, -ERE, ARGUĪ, ARGŪTUM, *v. t.* — dévoiler, montrer, prouver, inculper, convaincre d'erreur. [*argentum*, *argūmentum,* Tolkien : *arkenstone (?)*]

5. MĀNŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM *v. t. & int.* — couler, se répandre ; faire couler. [*mare,* ang. *moor,* all. *Moor* ; émaner, émanation]

« *Hæc,* inquit, *locūtus sublīmis*[6] *abiit.* » Mīrum quantum, illī virō nūntiantī hæc, fidēs fuerit ! quamque dēsīderium Rōmulī, apud plēbem exercitumque, factā fide immortālitātis, lēnītum sit !

6. SUBLĪMIS, -E, *adj. qual.* — suspendu en l'air ; haut, élevé. [

Dē Sabīnīs rēgibus

Dē Numā Pompiliō

Quomodo Numa rēx factus sit

[17] Patrum interim animōs certāmen rēgnī, ac cupīdō versābat[1]. Necdum ā singulīs, quia nēmō magnopere ēminēbat in novō populō, petitum erat : factiōnibus[2] inter ōrdinēs certābātur. Oriundī[3] ab Sabīnīs, nē — quia post Tatī mortem ab suā parte nōn erat rēgnātum — in societāte æquā possessiōnem imperiī āmitterent, suī corporis[4] creārī rēgem volēbant ; Rōmānī veterēs peregrīnum rēgem aspernābantur.

In variīs voluntātibus, rēgnārī tamen omnēs volēbant — lībertātis dulcēdine nōndum expertā. Timor deinde patrēs incessit nē cīvitātem sine imperiō, exercitum sine duce, multārum circā cīvitātium[5] inrītātīs animīs, vīs aliqua externa adorīrētur[6]. Et esse igitur aliquod caput placēbat ; et nēmō alterī concēdere in animum indūcēbat.

---

1. VERSŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — faire tourner, retourner.

2. FACTIŌ, -ŌNIS, n. f. — troupe, association, parti ; (en mauv. part) faction, ligue, cabale.[sens étymologique de *faciō* : placer, se placer (*Cf.* τίθημι) ; faction, factieux]

3. Souvent chez Tite-Live, les formes en *-undus, -a, -um* sont pleinement des adjectifs, comme ici : « originaire »

4. C'est-à-dire de leur race.

5. = *cīvitātum.*

6. ADORIOR, -ĪRIS, -ĪRĪ, -ORTUS SUM, v. t. — assaillir, attaquer, entreprendre.

Ita rem inter sē centum patrēs — decem decuriīs factīs, singulīsque in singulās decuriās creātīs, quī summæ rērum præessent — cōnsociant. Decem imperitābant ; ūnus cum īnsignibus imperiī et līctōribus erat. Quīnque diērum spatiō fīniēbātur imperium ; ac per omnēs in orbem[1] ībat, annuumque intervāllum[2] rēgnī fuit. Id ab rē — quod nunc quoque tenet nōmen — *interrēgnum* appellātum.

Fremere[3] deinde plēbs *"multiplicātam servitūtem, centum prō ūnō dominōs factōs"* ; nec ultrā[4] nisi rēgem, et ab ipsīs creātum, vidēbantur passūrī. Cum sēnsissent ea movērī patrēs — offerendum ultrō ratī quod āmissūrī erant — ita grātiam[5] ineunt, summā potestāte populō permissā, ut nōn plūs darent jūris quam dētinērent. Dēcrēverunt enim ut : cum populus rēgem jussisset, id sīc ratum esset, sī patrēs auctōrēs fierent.

Hodiē quoque, in lēgibus magistrātibusque rogandīs[6], ūsūrpātur īdem jūs, vī adēmptā[7] : priusquam populus suffrāgium ineat in incertum comitiōrum ēventum, patrēs auctōrēs fīunt.

Tum interrēx, contiōne advocātā : « *Quod bonum, faustum fēlīxque sit,* inquit, *Quirītēs, rēgem creāte : ita patribus vīsum*

---

1. « En cercle », donc « par rotation ».

2. Un « intervalle de règne », donc un entre-deux-règnes.

3. ULTRĀ, *adv.* — au-delà, par-delà.

4. FREMŌ, -IS, -ERE, -UĪ, -ITUM, *v. t. & int.* — frémir, murmurer, gronder ; faire entendre par un grondement, un frémissent. [frémir]

5. Il s'agit de la *grātia* qu'éprouvera dès lors le peuple.

6. Ici, *rogō* signifie « demander la désignation ».

7. Comme le Sénat donne maintenant son avis avant le vote, celui-ci est, pour Tite-Live, plus libre.

est. Patrēs deinde, sī dignum quī secundus ab Rōmulō numerētur creāritis[1]*, auctōrēs fient.* » Adeō id grātum plēbī fuit ut, nē vīctī beneficiō vidērentur, id modo scīscerent[2] jubērentque : ut senātus dēcerneret quī Rōmæ rēgnāret.

[18] Inclita jūstitia religiōque, eā tempestāte, Numæ Pompilī erat. Curibus Sabīnīs habitābat, cōnsultissimus[3] vir — ut in illā quisquam esse ætāte poterat — omnis dīvīnī atque hūmānī jūris. Auctōrem doctrīnæ eĵus, quia nōn exstat alius, falsō Samium Pȳthagoram[4] ēdunt — quem, Serviō Tulliō rēgnante Rōmæ centum amplius post annōs, in ultimā Italiæ ōrā, circā Metapontum Hēraclēamque et Crotōna, juvenum æmulantium[5] studia cœtūs[6] habuisse cōnstat.

Ex quibus locīs, etsī eĵusdem ætātis fuisset, quæ fāma in Sabīnōs ? Aut quō linguæ commerciō[7] quemquam ad cupiditātem discendī excīvisset ? Quōve præsidiō, ūnus per tot gentēs dissonās sermōne mōribusque, pervēnisset ? Suōpte igitur ingeniō, temperātum animum virtūtibus fuisse opīnor,

---

1. = *creāveritis.*

2. SCISCŌ, -IS, -ERE, SCĪVĪ, SCĪTUM, *v. t.* — chercher à savoir ; agréer, décider, ratifier.

3. CŌNSULTUS, -A, -UM, *adj. qual. + gén.* — avisé, réfléchi, versé dans un domaine. [*cōnsul, cōnsilium, cōnsulō*]

4. Πῠθάγορᾰς Σάμιος — Pythagore, né à Samos v. 580, a tenu école à Crotone, sur le golfe de Tarente, à partir de 540. Il serait mort à Métaponte, en 495, alors que Numa Pompilius aurait régné de 715 à 673.

5. ÆMULOR, -ĀRIS, ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. + acc. +dat.* — rivaliser avec qqun., rivaliser de qqch, quant à qqch. [émule, émulation ; *imagō* ? , *imitor* ?]

6. CŒTUS, -ŪS, *n. m.* — rencontre, réunion, assemblée. [*coeō*, coït]

7. COMMERCIUM, -IĪ, *n. nt.* — commerce, rapports, relations, échanges. [*cum+merx*]

magis īnstrūctumque nōn tam peregrīnīs artibus, quam disciplīnā tetricā[1] ac trīstī veterum Sabīnōrum, quō genere nūllum quondam incorruptius fuit.

Audītō nōmine Numæ, patrēs Rōmānī, quamquam inclīnārī opēs ad Sabīnōs — rēge inde sūmptō — vidēbantur, tamen neque sē quisquam[2], nec factiōnis suæ alium, nec dēnique patrum aut cīvium quemquam, præferre illī virō ausī, ad ūnum[3] omnēs, Numæ Pompiliō rēgnum dēferendum dēcernunt.

Accītus[4] — sīcut Rōmulus, augurātō, urbe condendā, rēgnum adeptus est[5] — dē sē quoque deōs cōnsulī jussit. Inde ab augure — cui deinde, honōris ergō[6] pūblicum id perpetuumque sacerdōtium fuit — dēductus in arcem, in lapide, ad merīdiem versus, cōnsēdit. Augur, ad lævam eĵus, capite vēlātō, sēdem cēpit — dextrā manū baculum sine nōdō aduncum[7] tenēns, quem lituum[8] appellārunt.

Inde — ubi, prōspectū in urbem agrumque captō, deōs precātus, regiōnēs ab oriente ad occāsum dēterminābit —

---

1. TETRICUS, -A, -UM, adj. qual. — sombre, sévère. [*trīstis* ?]

2. On peut sous-entendre ici *ausus*, qui sera exprimé un peu plus bas sous la forme *ausī*, parce que Tite-Live passe d'une vision distributive du sénat à une vision totalisante, de *quisquam* à *omnēs*.

3. AD ŪNUM : jusqu'au dernier, sans exception.

4. ACCIŌ, -ĪS, -ĪRE, -ĪVĪ, -ĪTUM, *v. t.* — faire venir, mander. [*ad + cieō>ciō*]

5. ADIPĪSCOR, -ERIS, -Ī, ADEPTUS SUM, *v. t.* — atteindre, obtenir ; [*+gén.*] s'emparer de. [*aptus*, ἅπτω ; adepte, apte, adapté]

6. ERGŌ + *gén.* : à cause de ⟶ pour lui rendre honneur.

7. ADUNCUS, -A, -UM, *adj. qual.* — crochu, recourbé. [*uncus, angulus*, ὄγκος]

8. LITUUS, -A, -UM, *n. m.* — bâton augural recourbé ; trompette. [mot étrusque ? *obliquus* ?]

dextrās ad merīdiem partēs, lævās ad septentriōnem esse dīxit ; signum, contrā quō longissimē cōnspectum oculī ferēbant, animō fīnīvit[1]. Tum lituō in lævam manum trānslātō, dextrā in caput Numæ impositā, ita precātus est :

« *Juppiter pater, sī est fās hunc Numam Pompilium, cuĵus ego caput teneō, rēgem Rōmæ esse, utī*[2] *tū signa nōbīs certa adclārāssis*[3] *inter eōs fīnēs quod fēcī.* »

Tum perēgit verbīs auspicia quæ mittī vellet. Quibus missīs, dēclārātus rēx, Numa dē templō dēscendit.

Numa et Ēgeria

[19] Quī, rēgnō ita potītus, urbem novam conditam vī et armīs, jūre eam — lēgibusque ac mōribus — dē integrō condere parat. Quibus cum inter bella adsuēscere vidēret nōn posse — quippe efferārī[4] mīlitiā animōs — mītigandum ferōcem populum armōrum dēsuētūdine ratus, Jānum ad īnfimum[5] Argīlētum[6] indicem pācis bellīque fēcit — apertus, ut

1. Ainsi l'augure a marqué les limites du *templum*, espace rectangulaire délimité dans le ciel pour recueillir les présages.

2. UTĪ : *utinam.*

3. = *adclārāveris.*

4. EFFERŌ < *ferus, -a, -um.*

5. ĪNFIMUS, -A, -UM, *adj. qual.* (superlatif de *īnferus*) — le plus bas, le dernier ; la partie inférieure de. [infime, *īnfrā, īnfernus*, ang. *under*, all. *unter*]

6. C'était une éminence à l'orient du Palatin, du côté du forum. Elle tirait son nom de l'argile dont elle était formée (Varron, *L. L.* V, 157) et non comme le prétendait une tradition reproduite par Virgile (*Æn.*, VIII, 315), du meurtre d'un certain Argus tué chez Evandre et à son insu : *Nec nōn et sacrī mōnstrat nemus Argīlētī, / Testāturque Iocum et lētum docet hospitis Argō.* C'était, au temps des empereurs, le quartier des libraires : *Argīlētānās*

in armīs esse cīvitātem ; clausus, pācātōs circā omnēs populōs significāret.

Bis deinde post Numæ rēgnum clausus fuit : semel, T. Mānliō[1] cōnsule, post Pūnicum prīmum perfectum bellum ; iterum, quod nostræ ætātī dī dederunt ut vidērēmus, post bellum Actiacum[2], ab imperātōre Cæsare Augustō pāce terrā marīque partā.

Clausō eō — cum omnium circā fīnitimōrum societāte, ac fœderibus, jūnxisset animōs — positīs externōrum perīculōrum cūrīs — nē luxuriārent ōtiō animī, quōs metus hostium disciplīnaque mīlitāris continuerat — omnium prīmum — rem, ad multitūdinem imperītam et illīs sæculīs rudem, efficācissimam — deōrum metum injiciendum ratus est.

Quī, cum dēscendere ad animōs sine aliquō commentō[3] mīrāculī nōn posset, simulat sibi cum deā Ēgeriā congressūs nocturnōs esse — ejus sē monitū, *quæ acceptissima dīs essent* sacra īnstituere, sacerdōtēs suōs cuique deōrum præficere.

---

māvīs habitāre tabernās / Cum tibi, parve liber, scrīnia nostra vacent. (Martial, I, 4.) (PLB)

1. La première guerre punique s'étendit de 264 à 241. *A. Manlius Torquātus* fut consul en 244 et 241 ; *T. Manlius Torquātus* en 235. C'est lui qui ferma le temple de Janus, après avoir vaincu les Sardes, pour achever la conquête de la Sardaigne acquise sur les Carthaginois.

2. Le 2 septembre 31, la flotte d'Octave l'emporta sur celles d'Antoine et de Cléopâtre au large d'Actium, au sud de l'Épire, mettant fin à la guerre civile, de sorte qu'en 27, Octave put prendre le titre d'*Auguste*.

3. COMMENTUM, -Ī : à rapprocher de *mentior*.

Atque omnium prīmum, ad cursūs lūnæ in duodecim mēnsēs dīscrībit annum. Quem — quia trīcēnōs[1] diēs, singulīs mēnsibus lūna nōn explet, dēsuntque sex diēs solidō[2] annō, quī sōlstitiālī[3] circumagitur orbe — intercalāriīs mēnsibus interpōnendīs ita dispēnsāvit[4], ut vīcēsimō annō, ad mētam eandem sōlis unde ōrsī essent, plēnīs omnium annōrum spatiīs, diēs congruerent. Idem nefāstōs diēs fāstōsque fēcit, quia aliquandō nihil cum populō agī ūtile futūrum erat.

[20] Tum sacerdōtibus creandīs animum adjēcit, quamquam ipse plūrima sacra obībat[5], ea maximē quæ nunc ad Diālem[6] flāminem pertinent. Sed — quia, in cīvitāte bellicōsā, plūrēs Rōmulī quam Numæ similēs rēgēs putābat fore, itūrōsque ipsōs ad bella — nē sacra rēgiæ vīcis dēsererentur, flāminem

---

1. TRĪCĒNĪ, -A, -Æ, *adj. distr.* *[dēnī, vīcēnī, trīcēnī, quadr**āgēnī**, quīnqu**āgēnī**, sex**āgēnī**, sept**uāgēnī**, octōgēni, non**āgēni** ; centēnī, ducēnī, trecēnī, quadr**ingēnī**, quī**ngēnī**, sescēni, sept**ingēnī**, oct**ingēnī**, no**ngēnī**]* — par trente ; trente. [= *tri- + *(d)km̥t + *-no]

2. SOLIDUS, -A, -UM, *adj. qual.* — entier, dense, solide, ferme. [solide, solidaire, sou, souder, solde, soldat, soudard ; *salūs, salvus, sollicitus, sollemnis*, ὅλος]

3. SŌLSTITIĀLIS, -E, *adj. qual.* — du solstice. Le disque (orbis) du solstice, c'est le cercle que parcourt le soleil d'un solstice à l'autre. [*sōlstitium = sōl + status*]_a

4. DISPĒNSŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — partager, distribuer, organiser. [*pendō,* « peser »]

5. OBEŌ, -ĪS, -ĪRE, -IĪ, -ITUM, *v. t.* — *ici,* s'acquitter de, se charger de.

6. DIĀLIS, -E, *adj. qual.* — De Jupiter, (dieu du jour lumineux). [*diēs, Juppiter = Diēspiter*, Ζεύς, *tuesday*]

Jovī adsiduum sacerdōtem creāvit ; īnsignīque eum veste et curūlī[1] rēgiā sellā[2] adōrnāvit.

Huic duōs flāminēs adjēcit : Mārtī ūnum, alterum Quirīnō[3]. Virginēsque Vestæ lēgit — Albā oriundum sacerdōtium[4], et gentī conditōris[5] haud aliēnum. Hīs ut adsiduæ templī antistitēs essent, stīpendium dē pūblicō statuit ; virginitāte, aliīsque cærimōniīs, venerābilēs ac sānctās fēcit. Saliōs[6] item duodecim Mārtī Grădīvō[7] lēgit ; tunicæque pictæ īnsigne dēdit, et super tunicam aēneum pectorī tegumen[8]. Cælestiaque

---

1. CURŪLIS, -E, *adj. qual.* — curule : la *sella curūlis*, réservée aux plus haut magistrats, était à l'origine posée sur un char. [*currus, currere, carrus* (du gaulois), *horse*]

2. SELLA, -Æ, *n. f.* — siège, chaise. [= *sed(eō) + -lā*, selle, *saddle, sattel*, седло́]

3. Les trois flamines sont donc prêtres des dieux que Wissowa et Dumézil considèrent comme la « triade précapitoline », et que le second considère comme un héritage indo-européen, répondant à la tripartition fondamentale des sociétés indo-européennes entre les fonctions sacerdotale, guerrière et reproductrice.

4. Tite-Live fait référence au fait que Rhéa Silvia fut une vestale.

5. C'est-à-dire Romulus.

6. SALĪ, -ŌRUM, *n. m. pl.* — Saliens, prêtres de Mars. Les anciens s'accordent pour rattacher leur nom à *saliō*. [*saliāris, saliō, salāx, salācitās, saltus, adsiliō, saltō, adsultō, esxultō, insultō*… ἅλλομαι, saut, saillir…]

7. Surnom de Mars d'origine incertaine, comme la longueur du -a-. Les anciens l'associaient à *gradus* : ce serait le dieu de l'armée en marche. On a pu penser aussi à *grandis* : le grand dieu ou le dieu qui fait grandir les guerriers. Enfin Festus l'associe à *gramen* — dont on peut noter que la racine indo-européenne *$g^{w}erh_{3}$- (> *vorāre,* βιβρώσκω) pouurait en faire le « dévorateur » (*cf.* Warren, 1883).

8. TEG(U)MEN, -INIS, *n. nt.* — Tout ce qui sert à couvrir : vêtement, cuirasse… [*tegō, tēgula, tēctus, toga*, στέγω, tuile, toit]

arma, quæ *ancīlia*[1] appellantur, ferre, ac per urbem īre canentēs carmina, cum tripudiīs[2] sollemnīque saltātū, jussit.

Pontificem[3] deinde Numam Marcium[4], Mārcī fīlium, ex patribus lēgit ; eīque sacra omnia exscrīpta[5] exsignātaque attribuit[6] : quibus hostiīs[7], quibus diēbus, ad quæ templa sacra fierent ; atque unde, in eōs sūmptūs[8], pecūnia ērogārētur[9].

Cētera quoque omnia pūblica prīvātaque sacra pontificis scītīs[10] subjēcit, ut esset quō cōnsultum plēbēs venīret, nē quid dīvīnī jūris — neglegendō patriōs rītūs, peregrīnōsque

---

1. ANCĪLE, -IS, *n. nt.* — bouclier ovale, échancré des deux côtés. Il serait tombé du ciel dans le palais de Numa, d'après, entre autres, Ovide (*Fastes*, 3, 259-398]. [*ambō + cædō*]

2. TRIPUDIUM, -IĪ, *n. nt.* — danse à trois temps de caractère sacré.

3. PONTIFEX, PONTIFICIS, *n. m.* — pontife. [*pōns + faciō*]. Le sens étymologique est contesté. Sans doute celui qui fait des ponts entre les hommes et les dieux.

4. Personnage sans doute fictif, qui donne un ancêtre prestigieux, sorte de doublon de Numa Pompilius, à Ancus Marcius, duquel prétendent descendre les *Marciī* — famille éminente, qui compta de nombreux consuls. Le membre le plus fameux en fut sans doute Coriolan.

5. *Cf. « Sicilia āmissa ».* Ce que Numa Pompilius donne au premier pontife, ce sont bien des écrits, des instructions, davantage que des *sacra.*

6. ADTRIBUO, -IS, -ERE, -UI, -UTUM, v. *+acc. +dat.* — donner, attribuer, allouer ; donner en partage. [*tribus, -ūs* < **tri-* (?). Il s'agit à l'origine de partager entre les tribus. Peut-être auraient-elles été trois (Cf. § 13.)]

7. HOSTIA, -Æ, *n. f.* — compensation, victime, offrande expiatoire. [<*(hostīre = æquāre) <hostis*]. La différence entre *victima* et *hostia* est sans doute que la première va être offerte aux dieux, et la seconde a été offerte (forum Babel, étude de Ion)

8. SUMPTUS, -ŪS, *n. m.* — dépense. [*sumō*]

9. Ces dépenses ont un caractère public : il faut fixer par qui elles doivent être payées.

10. SCĪTUM, -Ī, *n. m.* — décret. [<*sciscō*, « chercher à savoir » ⟶ « discuter, débattre », ⟶ *scīvī* = « j'ai débattu et je décide » ⟶ « je décrète » ; sens étendu ensuite au présent. > plébiscite]

adscīscendō[1] — turbārētur ; nec cælestēs modo cærimōniās, sed jūsta quoque fūnebria, plācandōsque Manēs ut īdem pontifex ēdocēret, quæque prōdigia, fulminibus allōve quō vīsū missa, susciperentur atque cūrārentur. Ad ea ēlicienda[2] ex mentibus dīvīnīs, Jovī Ēliciō[3] āram in Aventīnō dicāvit ; deumque cōnsuluit, auguriīs, quæ suscipienda essent.

[21] Ad hæc cōnsultanda prōcūrandaque, multitūdine omnī ā vī et armīs conversā, et animī, aliquid agendō, occupātī erant, et deōrum adsidua īnsidēns[4] cūra — cum interesse rēbus hūmānīs cæleste nūmen vidērētur — eā[5] pietāte omnium pectora imbuerat, ut fidēs ac jūs jūrandum — prō[6] lēgum ac pœnārum metū — cīvitātem regerent.

Et cum ipsī sē hominēs in rēgis velut ūnicī exemplī mōrēs fōrmārent, tum fīnitimī etiam populī — quī anteā castra, nōn urbem, positam in mediō ad sollicitandam omnium pācem,

---

1. ADSCISCŌ, -IS, -ERE, -ĪVĪ, -ĪTUM, *v. t.* — appeler à soi, emprunter, adopter. [*cf.* ci-dessus]

2. ĒLICIŌ, -IS, -ERE, -UĪ, -ITUM, *v. t.* — tirer de, faire sortir de. [**lax*, « appât, ruse, séduction » (*cf. laqueus*)→ **laciō*, « attirer, séduire » → *dēliciō, inliciō, pelliciō* ; *dēliciæ — laqueus* ?]. Celui qui tire les interprétation des dieux. Idée de piège dans l'histoire racontée par Ovide ?

3. On a souvent compris que Jupiter Elicius était l'équivalent de Jupiter Pluvius — le dieu qui tire la pluie du ciel. Il est sans doute plus juste de penser qu'il s'agit du dieu qui tire les interprétations des dieux. On peut aussi penser au jeu de pièges que se tendent Jupiter et Numa dans le savoureux dialogue que rapporte Ovide (*Fastes,* III, 329-348).

4. Remarquez la redondance étymologique *ad**sid**uus + īn**sid**ens :* la *religiō* de Numa, pleine de *virtūs* et de *cōnstantia*, n'a rien de la *superstitiō* du vulgaire, peureuse et chancelante. (Cf. Scheid, 1985)

5. Annonce *ut*.

6. Correction de Novák.

crēdiderant — in eam verēcundiam adductī sunt : ut cīvitātem, tōtam in cultum versam deōrum, violārī dūcerent nefās.

Lūcus[1] erat quem medium, ex opācō specū, fōns perennī rigābat aquā. Quō quia sē persæpe Numa sine arbitrīs, velut ad congressum deæ, īnferēbat, Camēnīs[2] eum lūcum sacrāvit, *"quod eārum ibi concilia, cum conjuge suā Ēgeriā, essent."*

Et [sōlī] Fideī[3] sollemne īnstituit. Ad id sacrārium flāminēs bīgīs[4], currū arcuātō[5], vehī jussit ; manūque ad digitōs usque involūtā, rem dīvīnam facere — significantēs fidem tūtandam, sēdemque eĵus, etiam in dexterīs[6], sacrātam esse. Multa alia

---

1. LŪCUS,-Ī, *n. m.* — bois sacré. [*leuk- ⟶ *lūx*, λευκός ; *lówkos ⟶ *lūcus*, Oslo (Norv.)]

2. Les Camènes étaient des déesses sources et des eaux qui furent identifiées par les poètes avec les Muses. [mot d'origine étrusque ; *Camilla*]

3. Fidēs est une divinité essentielle pour la société romaine, nécessaire pour établir la solidité des contrats, pour lier la parole et les actes : « ***Fi****des enim nōmen ipsum mihī vidētur habēre, cum* ***fi****t quod dīcitur* » (Cicéron, *Dē rēpūblicā*, IV, 7). Valeur à la fois juridique et religieuse, c'est un *nūmen* doté d'une lourde puissance, qui impose une forte contrainte — par exemple aux vaincus qui s'en remettent à la *fidēs* romaine. On peut aussi lire ici que cette confiance doit avoir quelque chose d'aveugle : c'est ce que signifierait la main droite voilée : sacrée, donc intouchable, mais aussi impossible à dévoiler, cachée. Si on conserve « sōlī » que donnent la plupart des manuscrits, on peut comprendre qu'il s'agit de la *fidēs* détachée du dieu qui la porte comme attribut, peut-être Jupiter Fidius.

4. BĪGÆ, ĀRUM, *n. f. pl.* — char à deux chevaux, bige. [*bi- + jugus* ; quadrige]

5. ARCUĀTUS, -A, -UM, *adj. qual.* — pourvu d'un cerceau : le char est surmonté d'une tente demi-circulaire.

6. Ainsi, le siège sacré de *Fidēs*, ce sont les mains droites des *flāminēs.* Sans doute faut-il rapprocher cela du caractère sacré de la main droite donnée — celle que donne sans vergogne le Don Juan de Tirso de Molina à ses victimes, pour s'en moquer ensuite (*El burlador de Sevilla,* 1630).

sacrificia ; locaque sacrīs faciendīs, quæ Argēōs[1] pontificēs vocant, dēdicāvit.

Omnium tamen maximum eĵus operum fuit tūtēla[2], per omne rēgnī tempus, haud minor pācis quam rēgnī. Ita duo deinceps rēgēs, alius aliā viā — ille bellō, hīc pāce — cīvitātem auxerunt. Rōmulus septem et trīgintā rēgnāvit annōs ; Numa trēs et quadrāgintā. Cum valida tum temperāta, et bellī et pācis artibus, erat cīvitās.

Dē Tullō Hostīliō

Dē Horātiīs Cūriātiīsque

[22] Numæ morte, ad interrēgnum rēs rediit. Inde Tullum Hostīlium — nepōtem Hostīlī[3], cuĵus, in īnfimā arce, clāra pugna adversus Sabīnōs fuerat — rēgem populus jussit ; patrēs auctōrēs factī.

Hic nōn sōlum proximō rēgī dissimilis, sed ferōcior etiam quam Rōmulus fuit. Cum ætās vīrēsque, tum avīta quoque

1. Argēī, -ōrum, *n. m. pl.* — Argées : entre 24 et 30 lieux consacrés dans Rome, où l'on déposait, les 16 et 17 mars, autant de mannequins, qui sont aussi des Argées. Le 14 ou le 15 mai, on les jetait dans le Tibre du haut du *Pōns Sublicius*. D'après Ovide (*Fastes*, V, 621-662), c'est Hercule qui remplaça ainsi des sacrifices humains. Varron (VIII, 45) explique leur nom par le fait qu'Hercule, Tyrinthien était un Argive.

2. tūtēla, -æ, *n. f.* — protection. [*tueor, tūtus*]

3. *Cf.* § 12.

glōria, animum stimulābat. Senēscere igitur cīvitātem ōtiō ratus, undique māteriam excitandī bellī quærēbat.

Forte ēvenit ut agrestēs Rōmānī ex Albānō agrō, Albānī ex Rōmānō prædās in vicem agerent. Imperitābat tum Gaĵus Cluilius[1] Albæ. Utrimque lēgātī, ferē sub idem tempus, ad rēs repetendās missī.

Tullus præcēperat suīs nē quid prius quam mandāta agerent : satis sciēbat negātūrum Albānum ; ita piē bellum indīcī posse. Ab Albānīs socordius[2] rēs ācta ; exceptī hospitiō ab Tullō blandē ac benignē, cōmiter rēgis convīvium celebrant.

Tantīsper, Rōmānī et rēs repetīverant priōrēs ; et, negantī Albānō, bellum in trīcēsimum[3] diem indīxerant. Hæc renūntiant Tullō. Tum, lēgātīs Tullus dīcendī potestātem quid petentēs vēnerint facit. Illī omnium ignārī prīmum pūrgandō terunt tempus : *"sē invītōs quicquam quod minus placeat Tullō dictūrōs, sed imperiō subigī ; rēs repetītum sē vēnisse ; nī reddantur bellum indīcere jussōs."*

Ad hæc Tullus « *Nūntiāte,* inquit, *rēgī vestrō rēgem Rōmānum deōs facere testēs, uter prius populus, rēs repetentēs*

---

1. Sans doute à rapprocher de la *gēns Clœlia*, dont est issue Clélie. Festus en fait un descendant de Clolius, compagnon d'Énée. Pline (*Histoire naturelle*, 15, 120) rapproche ce nom de **cluere*, « purifier » (> *cloāca*).

2. SOCORS, -ORDIS, *adj. qual.* → *adv.* SOCORDITER — stupide, indolent, apathique [*so/e- + cor, cordis ; socordia*]

3. TRĪCĒSIMUS, -A, -UM, *adj. num. ord.* [vī**cē**simus, trī**cē**simus, quadrā**gē**simus, quīnquā**gē**simus, sexā**gē**simus, septuā**gē**simus, octō**gē**simus, nōnā**gē**simus, c**entē**simus, du**centē**simus, tre**centē**simus…] — trentième.

lēgātōs aspernātus, dīmīserit, ut in eum omnēs expetant huĵusce[1] *clādēs bellī.* »

[23] Hæc nūntiant domum Albānī. Et bellum utrimque summā ope parābātur, cīvīlī simillimum bellō, prope inter parentēs nātōsque, Trōjānam utramque prōlem — cum Lāvīnium ab Trōjā, ab Lāvīniō Alba, ab Albānōrum stirpe rēgum oriundī Rōmānī essent. Ēventus tamen bellī minus miserābilem dīmicātiōnem fēcit, quod nec aciē certātum est, et, tēctīs modo dīrutīs[2] alterīus urbis, duo populī in ūnum cōnfūsī sunt.

Albānī priōrēs, ingentī exercitū, in agrum Rōmānum impetum fēcēre. Castra, ab urbe haud plūs quīnque mīlia passuum, locant ; fossā circumdant. Fossa Cluilia, ab nōmine dūcis, per aliquot sæcula appellāta est, dōnec cum rē nōmen quoque vetustāte abolēvit[3].

In hīs castrīs Cluilius Albānus rēx moritur ; dictātōrem Albānī Mettium Fufetium[4] creant. Interim Tullus ferōx, præcipuē morte rēgis, — magnumque deōrum nūmen ab ipsō capite orsum, in omne nōmen Albānum, expetītūrum pœnās

---

1. -CE, *suffixe démonstratif* (propre aux langues italiques).

2. DĪRUŌ, -IS, -ERE, -UĪ, -ŪTUM, *v. t.* — démolir, renverser, détruire [*ruō, ruīna* > ruine ; esp. *derruir,* port. *ruir*]

3. ABOLESCŌ, -IS, -ERE, ĒVĪ, *v. i.* — se détruire, s'effacer, dépérir. [*alō* > *aboleō* (« détruire »), *abolescō ; adolescō* — ὄλλῡμι ? — abolir, abolition]

4. À rapprocher du nom de *Mettius Curtius* (§ 12), comme *Tullus Hostilius* est à rapprocher de *Hostus Hostilius.* Il serait sans doute téméraire d'évoquer l'étrusque *fuf,* « se gonfler », sans doute à l'origine des gentilices *Fūfius, Fūficius, Fūfidius* (*cf.* Carnoy, 1956) ; mais c'est évocateur pour un homme dont la légitimité est douteuse et la parole est vaine.

ob bellum impium dictitāns — nocte præteritīs hostium castrīs īnfēstō exercitū, in agrum Albānum pergit.

Ea rēs ab statīvīs[1] excīvit Mettium. Dūcit quam proximē ad hostem potest ; inde lēgātum præmissum nūntiāre Tullō jubet *“priusquam dīmicent opus esse conloquiō ; sī sēcum congressus sit, satis scīre ea sē allātūrum quæ nihilō minus ad rem Rōmānam quam ad Albānam pertineant.”*

Haud aspernātus Tullus ; tamen sī vāna adferantur, in aciem ēdūcit. Exeunt contrā et Albānī. Postquam īnstrūctī utrimque stābant, cum paucīs procerum[2], in medium ducēs prōcēdunt. Ibi īnfit[3] Albānus :

« Injūriās et nōn redditās rēs ex fœdere, quæ repetītæ sint, *et ego rēgem nostrum Cluilium*[4], causam huĵusce esse bellī, *audīsse videor. Nec tē dubitō, Tulle, eadem præ tē ferre ; sed sī vēra potius quam dictū speciōsa*[5] *dīcenda sunt, cupīdō imperiī duōs cognātōs vīcīnōsque populōs ad arma stimulat.*

« *Neque, rēctē an perperam*[6]*, interpretor. Fuerit ista eĵus dēlīberātiō quī bellum suscēpit ; mē Albānī gerendō bellō ducem creāvēre.*

---

1. STATIVA, -ŌRUM, *n. nt. pl.* — quartiers, campements : lieux où l’on s’installe (*cf.* manoir, maison, *mansion* < *manēre* ; demeure).

2. PROCERĒS, -UM, *n. m. pl.* — personnages éminents, les premiers citoyens, les grands. À rapprocher du nom d’origine étrusque *Lūcerēs* (§ 13).

3. ĪNFIT, *v. défectif* — commencer (à parler). [*in + fiō*]

4. Sous-entendre *dīcentem.*

5. SPECIŌSUS, -A, -UM, *adj. qual.* — de bel aspect, spécieux. [*speciēs* < **speciō, -spex ; spy ;* σκέπτομαι ?]

6. PERPERAM, *adv.* — de travers, faussement. [*per-* « en traversant », donc « en détruisant » : *perdō, pereō, perimō, pervertō, perfidus, perjūrus*]

« *Illud tē, Tulle, monitum velim : Etrūsca rēs quanta circā nōs, tēque, maximē sit, quō propior es Volscīs*[1]*, hoc magis scīs. Multum illī terrā, plūrimum marī pollent*[2]*. Memor estō, jam cum signum pugnæ dabis, hās duās aciēs spectāculō fore, ut fessōs cōnfectōsque simul victōrem ac victum adgrediantur.*

« *Itaque, sī nōs dī amant, quoniam, nōn contentī lībertāte certā, in dubiam imperiī servitiīque āleam*[3] *īmus, ineāmus aliquam viam quā utrī utrīs imperent sine magnā clāde, sine multō sanguine utrīusque populī dēcernī possit.* »

Haud displicet rēs Tullō — quamquam, cum indole animī, tum spē victōriæ, ferōcior erat. Quærentibus[4] utrimque ratiō inītur, cui et fortūna ipsa præbuit māteriam.

[24] Forte, in duōbus tum exercitibus erant trigeminī frātrēs, nec ætāte nec vīribus disparēs. Horātiōs Cūriātiōsque fuisse satis cōnstat — nec fermē rēs antīqua alia est nōbilior. Tamen in rē tam clāra, nōminum error manet : utrīus populī Horātiī, utrīus Curiatiī fuerint. Auctōrēs utrōque[5] trahunt ; plūrēs tamen inveniō quī Rōmānōs Horātiōs vocent — hōs ut sequar inclīnat animus.

---

1. Texte problématique : les Volsques ne sont pas des Étrusques. Les éditeurs proposent diverses corrections. Celle que propose Bayet (« *quō propiōrēs vōs estis* ») me semble la moins invraisemblable.

2. POLLEŌ, -ES, -ĒRE, *v. i.* — être puissant, l'emporter, dominer. [*potis* + *valeō* ? — *Pollux, Pol, pollex* ?]

3. ĀLEA, -Æ, *n. f.* — dé, jeu de dés, jeu de hasard, hasard. [*axis* ? (articulation ⟶ os ⟶ dé ; cf. « osselet ») ; aléas, aléatoire]

4. C'est la solution au problème posé par *Mettius Fufetius* qu'ils cherchent tous deux.

5. UTRŌQUE, *adv.* — de part et d'autre (question *quō*).

Cum trigeminīs agunt rēgēs ut prō suā quisque patriā dīmicent ferrō : *"ibi imperium fore unde victōria fuerit."* Nihil recūsātur ; tempus et locus convenit. Priusquam dīmicārent, fœdus ictum inter Rōmānōs et Albānōs est hīs lēgibus : ut cuĵusque[1] populī cīvēs eō certāmine vīcissent, is alterī populō cum bonā pāce imperitāret.

Fœdera alia aliīs lēgibus[2] ; cēterum, eōdem modo omnia fīunt. Tum ita factum accēpimus, nec ūllīus vetustior fœderis memoria est :

> Fētiālis[3] rēgem Tullum ita rogāvit : « *Ĵubēsne mē, rēx, cum patre patrātō*[4] *populī Albānī fœdus ferīre ?* » Jubente rēge, « *Sagmina*[5]*,* inquit, *tē, rēx, poscō.* » Rēx ait : « *Pūra tollitō.* » Fētiālis ex arce grāminis[6] herbam pūram attulit.
>
> Posteā rēgem ita rogāvit : « *Rēx, facisne mē tū rēgium nūntium populī Rōmānī Quirītium ? vasa*[7] *comitēsque meōs ?* » Rēx respondit: « *Quod sine fraude meā, populīque Rōmānī Quirītium, fīat, faciō.* »

---

1. = *cuĵuscumque.*

2. LĒX, LĒGIS, *n.f.* — ici : pacte, contrat, clause, condition.

3. FĒTIĀLIS, -IS, *n. m.* — fécial ; membre d'un collège de vingt prêtres chargés de déclarer la guerre. [θέμις, *faciō, fās, fastus, feriæ, festus*]

4. PATER PATRĀTUS, *n. m.* — père patrat, chef des féciaux. [*patrō,* dénominatif de *pater*]

5. SAGMEN, -INIS, *n. nt.* — brin d'herbe sacrée. [*sacer, sanciō*]

6. GRĀMEN, -INIS, *n. nt.* — gazon, herbe. [*grow, green ; grün* ; graminée]

7. VĀS, VĀSIS ; VĀSA, -ŌRUM, n. nt. — vase, vaisselle, ustensile, instrument.

Fētiālis erat M. Valerius[1] ; is patrem patrātum Sp. Fūsium[2] fēcit, verbēnā caput capillōsque tangēns. Pater patrātus ad jūsjūrandum patrandum[3] — id est sanciendum fit fœdus ; multīsque id verbīs, quæ longō effāta carmine nōn operæ est referre, peragit.

Lēgibus deinde, recitātis, « *Audī,* inquit, *Juppiter ; audī, pater patrātē populī Albānī ; audī tū, populus Albānus. Ut illa palam, prīma postrēma, ex illīs tabulīs cērāve, recitāta sunt sine dolō malō — utique ea hīc hodiē rēctissimē intellēcta sunt — illīs lēgibus populus Rōmānus prior nōn dēficiet.*

« Sī prior dēfēxit[4], pūblicō cōnsiliō dolō mālō, tum ille Diespiter populum Rōmānum sīc ferītō : ut ego hunc porcum hīc hodiē feriam ; tantōque magis feritō, quantō magis potes pollēsque. » Id ubi dīxit porcum saxō silice[5] percussit. Sua item carmina Albānī, suumque jūs jūrandum per suum dictātōrem, suōsque sacerdōtēs perēgerunt.

[25] Fœdere ictō, trigeminī, sīcut convēnerat, arma capiunt. Cum suī utrōsque adhortārentur *"deōs patriōs, patriam ac parentēs, quidquid cīvium domī, quidquid in exercitū sit,*

---

1. Ancêtre d'une des plus illustres *gēns* de la République et de l'Empire. Parmi les *Valeriī*, on peut citer Messaline ; Catulle, Valère-Maxime, Martial ; Marc-Aurèle, Dioclétien, Constantin… [*valeō*]

2. SPURIUS FŪSIUS — Fusius est une forme archaïque, sans rhotacisme, de Fūrius. Parmi les plus éminents des *Fūriī,* on remarque surtout Camille (*Mārcus Fūrius Camillus*). [*fūr*, voleur]

3. PATRŌ, -ĀS, ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — accomplir, achever (en tant que *pater patrātus*).

4. = *dēfēcerit.*

5. SILEX, SILICIS, *n. m.* ou *f.* — silex, caillou, roc, roche. [silice, silicium]

illōrum tunc arma, illōrum intuērī manūs" ferōcēs et suōpte ingeniō, et plēnī adhortantium vōcibus, in medium inter duās aciēs prōcēdunt.

Cōnsēderant utrimque prō castrīs duo exercitūs, perīculī magis præsentis quam cūræ expertēs[1] : quippe imperium agēbātur in tam paucōrum virtūte, atque fortūnā positum. Itaque ergō ērēctī, suspēnsīque in minimē grātum spectāculum, animō incenduntur.

Datur signum ; [2]īnfēstīsque armīs, velut aciēs ternī juvenēs, magnōrum exercituum animōs gerentēs, concurrunt. Nec hīs nec illīs perīculum suum ; pūblicum imperium servitiumque obversātur[3] animō, futūraque ea deinde patriæ fortūna — quam ipsī fēcissent. Ut, prīmō statim concursū, increpuēre arma, micantēsque fulsēre gladiī, horror ingēns spectantēs perstringit[4] ; et neutrō inclīnātā spē, torpēbat[5] vōx spīritusque.

Cōnsertīs[6] deinde manibus, cum jam nōn mōtus tantum corporum, agitātiōque anceps tēlōrum armōrumque, sed

---

1. EXPERS, -TIS, *adj. qual.* — qui n'a pas part à ; privé, dénué de. [*ex+pars*]

2. ĪNFESTUS, -A, -UM, *adj. qual.* — dirigé contre l'ennemi, prêt à attaquer. [*in + *fendō : dēfendō, offendō* ; θείνω, παρθένος, φόνος]

3. OBSERVŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — observer, surveiller, respecter, se conformer à.

4. PERSTRINGO, -IS, -ERE, -INXĪ, -ĪCTUM, *v. t.* — resserrer, crisper ; (*aurēs*) effleurer. [strict, restriction, constriction, astreindre, astringent, étreindre, stress, *to strain*]

5. TORPEŌ, -ĒS, -ĒRE, *v. i.* — être engourdi, paralysé, inerte. [torpeur]

6. CŌNSERŌ, -IS, -ERE, -UĪ, -TUM, *v. t.* — attacher, tresser ensemble, réunir, joindre ; (*manūs*) en venir aux mains. [sermon, assertion, dissertation, désert, insérer, serrure…]

vulnera quoque et sanguis spectāculō essent, duo Rōmānī super alium, vulnerātīs tribus Albānīs, exspīrantēs corruerunt[1]. Ad quōrum cāsum cum conclāmāsset gaudiō Albānus exercitus, Rōmānās legiōnēs jam spēs tōta — nōndum tamen cūra — dēseruerat[2] , exanimīs[3] vice[4] ūnīus quem trēs Cūriātiī circumsteterant. Forte is integer fuit — ut ūniversīs sōlus nēquāquam[5] pār, sīc adversus singulōs ferōx. Ergō, ut sēgregāret[6] pūgnam eōrum, capessit[7] fugam, ita ratus secūtūrōs : ut quemque vulnere adfectum corpus sineret.

Jam aliquantum spatiī, ex eō locō ubi pūgnātum est, aufūgerat, cum, respiciēns, videt magnīs intervallīs sequentīs, ūnum haud procul ab sēsē abesse. In eum magnō impetū rediit ; et dum Albānus exercitus inclāmat Cūriātiīs utī *opem ferant frātrī*, jam Horātius, cæsō hoste victor, secundam pūgnam petēbat.

Tunc clāmōre, quālis ex īnspērātō faventium solet, Rōmānī adjuvant mīlitem suum ; et ille dēfungī prœliō festīnat. Prius itaque quam alter — nec procul aberat — cōnsequī posset, et

---

1. CORRUŌ, -IS, -ERE, (*il s'agit ici du sens intransitif de* ruō) — s'effondrer.

2. DĒSERŌ, -IS, -ERE, -UI, -TUM, v. t. — se séparer de, délaisser, déserter (< idée de « dé-tresser, détacher »).

3. EXANIMIS, -IS, *adj. qual.* — privé de vie, inanimé. [*ex* + *anima*]

4. VICE + *gén.* : à la place de.

5. NĒQUĀQUAM, *adv.* — pas du tout, en aucune manière, nullement.

6. SĒGREGŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — séparer, écarter, isoler, éloigner. [*sē, sed* ; ἴδιός ; *self, seldom* ; *selbst* ; свой] [*grex*, ἀγείρω, ἀγορά]

7. CAPESSŌ,-IS, -ERE, -ĪVĪ, -ĪTŪRUS, *v. t.* — prendre avec empressement, saisir, se saisir de : chercher à atteindre, entreprendre.

alterum Cūriātium cōnficit. Jamque, æquātō Mārte[1], singulī supererant — sed nec spē, nec vīribus parēs.

Alterum, intāctum ferrō corpus, et geminăta victōria, ferōcem in certāmen tertium dabat ; alter — fessum vulnere, fessum cursū, trahēns corpus — victusque frātrum ante sē strāge[2], victōrī objicitur hostī.

Nec illud prœlium fuit. Rōmānus exsultāns « *Duōs,* inquit*, frātrum Mānibus dedī ; tertium causæ bellī hūjusce, ut Rōmānus Albānō imperet, dabō.* » Male sustinentī arma, gladium supernē[3] jugulō[4] dēfīgit ; jacentem spoliat.

Rōmānī, ovantēs ac grātulantēs, Horātium accipiunt, eō maĵōre cum gaudiō, quō prope metum rēs fuerat. Ad sepultūram inde suōrum, nēquāquam paribus animīs, vertuntur : quippe imperiō alterī auctī[5], alterī diciōnis aliēnæ factī[6]. Sepulcra exstant quō quisque locō cecidit, duo Rōmāna ūnō locō propius Albam, tria Albāna Rōmam versus, sed distantia locīs, ut et pūgnātum est.

[26] Priusquam inde dīgrederentur, rogantī Mettiō — ex fœdere ictō — quid imperāret, imperat Tullus utī juventūtem

---

1. Sens figuré : « fortune, chance au combat ».

2. STRĀGĒS, -IS, n. f. — jonchée, monceau, débris, ruines ; massacre, carnage. [*sternō, strātum, strāmen* ; <> στράτια, στράτηγος, στρῶμα ; простере́ть, > it. *strage*, esp. *estrago*]

3. SUPERNĒ, *adv.* — par au-dessus, d'en haut.

4. JUGULUM ou JUGULUS, -Ī, *n. nt.* ou *m.* — gorge (au-dessus des clavicules). [*jugum, jugulō* ; joug, jugulaire, juguler]

5. Dans le sens de « rehausser ».

6. FACERE DICIŌNIS SUÆ : soumettre.

in armīs habeat : *“ūsūrum sē eōrum opera sī bellum cum Veĵēntibus foret.”* Ita exercitūs inde domōs abductī.

Prīnceps Horātius ībat, trigemina spolia præ sē gerēns ; cui soror virgō, quæ dēspōnsa[1] ūnī ex Cūriātiīs fuerat, obvia ante portam Capēnam[2] fuit. Cognitōque super umerōs frātris palūdāmentō[3] spōnsī — quod ipsa cōnfēcerat —, solvit crīnēs ; et flēbiliter[4], nōmine spōnsum mortuum appellat.

Movet ferōcī juvenī animum complōrātiō sorōris — in victōriā suā, tantōque gaudiō pūblicō. Strictō[5] itaque gladiō, simul verbīs increpāns trānsfīgit puellam. « *Abī hinc cum immātūrō amōre ad spōnsum,* inquit, *oblita frātrum mortuōrum, vīvīque — oblīta patriæ ! Sīc eat quæcumque Rōmāna lūgēbit*[6] *hostem.* »

Atrōx vīsum id facinus patribus plēbīque ; sed recēns meritum factō obstābat. Tamen raptus in jūs ad rēgem. Rēx nē ipse, tam trīstis ingrātīque ad vulgus jūdiciī, ac secundum jūdicium suppliciī auctor, esset, conciliō populī advocātō : « *Duumvirōs*[7]*,* inquit, *quī Horātiō perduelliōnem*[8] *jūdicent, secundum lēgem faciō.* »

---

1. DĒSPONDEŌ, -ĒS, ĒRE, -DĪ, -SUM, *v. t.* — promettre, accorder, fiancer ; abandonner, renoncer à. [épouser]

2. La porte Capène permettait sans doute d’aller vers *Cabum* (aujourd’hui, *Monte Cavo*), à l’est de Rome, au pied des monts Albains.

3. PALŪDĀMENTUM, -Ī, *n. nt.* — habit militaire, manteau des généraux. [*palūda*, épithète de Minerve ; *pallium, palla* ?]

4. FLĒBILITER, *adv.* — en pleurant, tristement. [*fleō ; flēbilis* > faible]

5. STRINGŌ — cf. n. 4 p. 53 (*perstringō*).

6. LŪGEO, -ĒS, -ĒRE, -XĪ, -CTUM, *v. int. ou t.* — se lamenter ; pleurer, déplorer. [*lūgubris*, λυγρός]

Lēx horrendī carminis[1] erat : « *Duumvirī perduelliōnem jūdicent ; sī ā duumvirīs prōvocārit*[2]*, prōvocātiōne certātō ; sī vincent*[3]*, caput obnūbitō ; īnfēlīcī arborī reste*[4] *suspenditō ; verberātō vel intrā pōmērium*[5] *vel extrā pōmērium.* » Hāc lēge duumvirī creātī — quī sē absolvere nōn rēbantur eā lēge, nē innoxium[6] quidem, posse.

Cum condemnāssent, tum alter ex iīs « *Publī Horātī, tibi perduelliōnem jūdicō,* inquit, *Ī, līctor, colligā*[7] *manūs.* » Accesserat līctor, īnjiciēbatque laqueum. Tum Horātius, auctōre Tullō, clēmente lēgis interprete, « *Prōvocō* » inquit. Itaque prōvocātiōne certātum ad populum est.

Mōtī hominēs sunt in eō jūdiciō — maximē P. Horātiō patre, prōclāmante *"sē fīliam jūre cæsam jūdicāre ; nī ita esset, patriō jūre in fīlium animadversūrum fuisse"*. Ōrābat deinde *nē sē, quem paulō ante cum ēgregiā stirpe cōnspexissent, orbum līberīs facerent.*

---

7. DUUMVIR ou DUOVIR, Ī, *n. m.* — membre d'une commission de deux personnes.

8. PERDUELLIŌ, -ŌNIS, *n. f.* — haute trahison. [*perduellis*, < *qui per duellum agit*]

1. CARMEN, CARMINIS, *n. nt.* — ici, formule judiciaire.

2. Remarquez bien la préposition : « *ā* », qui marque bien l'éloignement.

3. Comprendre « *sī duumvirī vincent* ».

4. RESTIS, RESTIS, *n.f.* — corde.

5. PŌMĒRIUM, -IĪ, *n. nt.* — pomérium, espace consacré en dehors des murs de Rome, où il n'était permis ni de bâtir, ni de cultiver. [*post* + *mūrus*]

6. INNOXIUS, -A, -UM ≈ *innocēns, -entis.* [Cf. *obnoxius,* n. 1, p. 69]

7. COLLIGŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — lier ensemble, attacher ensemble. [*Cf. līctor* ; lier, ligature]

Inter hæc, senex juvenem amplexus, spolia Cūriātiōrum — fīxa eō locō quī nunc Pīla Horātia appellātur — ostentāns :

« *Huncine*, aiēbat, *quem modo decorātum* [1]*ovantemque, victōriā incēdentem, vīdistis, Quirītēs, eum sub furcā*[2] *vinctum, inter verbera et cruciātūs, vidēre potestis ? Quod vix Albānōrum oculī tam dēfōrme spectāculum ferre possent !*

« *Ī, līctor, colligā manūs, quæ paulō ante, armātæ, imperium populō Rōmānō pepererunt. Ī, caput obnūbe līberātōris urbis huĵus ; arbore īnfēlīcī suspende ; verberā, vel intrā pōmērium, modo inter illa pīla et spolia hostium, vel extrā pōmērium, modo inter sepulcra Cūriātiōrum ; quō enim dūcere hunc juvenem potestis, ubi nōn sua decora eum ā tantā fœditāte suppliciī vindicent ?* »

Nōn tulit populus nec patris lacrimās, nec ipsīus[3], parem in omnī perīculō, animum ; absolveruntque admīrātiōne magis virtūtis quam jūre causæ. Itaque, ut cædēs manifesta aliquō tamen piāculō[4] luerētur, imperātum patrī ut fīlium expiāret piāculōpecūniā pūblicā.

Is, quibusdam piāculāribus sacrificiīs factīs, quæ deĳnde gentī Horātiæ trādita sunt, trānsmissō per viam tigillō[5], capite adopertō velut sub jugum mīsit juvenem. Id hodiē quoque

---

1. OVŌ, -ĀS, -ĀRE, *v. i.* — triompher par ovation. [onomatopée ; εὐοῖ, évohé]

2. FURCA, -Æ, *n. f.* — fourche à deux dents. [*Cf. Furculæ Caudīnæ*]

3. Il s'agit d'Horace.

4. PIĀCULUM, -Ī, *n. nt.* — sacrifice expiatoire, expiation, ce qui mérite expiation. [*Cf. pius, pūrus, putō*]

5. TIGILLUM, -Ī, *n. nt.* — petite poutre, chevron. [*Cf. tēlum, tegō* ; στέγω ; ang. *stack* (« tas »), *stake* (« pieu, crampon, enjeu »)]

pūblicē semper refectum manet ; *Sorōrium tigillum* vocant. Horātiæ sepulcrum, quō locō corruerat icta[1], cōnstrūctum est saxō quadrātō.

Quomodo Alba dēlēta sit

[27] Nec diū pāx Albāna mānsit. Invidia vulgī — quod tribus mīlitibus fortūna pūblica commissa fuerit — vānum ingenium dictātōris corrūpit ; et quoniam rēcta cōnsilia haud bene ēvēnerant, prāvīs[2] reconciliāre populārium animōs cœpit.

Igitur ut prius in bellō pācem, sīc in pāce bellum quærēns — quia suæ cīvitātī animōrum plūs[3] quam vīrium cernēbat esse —, ad bellum, palam atque ex ēdictō, gerundum aliōs concitat populōs ; suīs, per speciem societātis, prōditiōnem reservat.

Fīdēnātēs, colōnia Rōmāna, Veĵentibus sociīs cōnsiliī[4] adsūmptīs, pactō trānsitiōnis[5] Albānōrum, ad bellum atque arma incitantur. Cum Fīdēnæ apertē dēscīssent[6], Tullus, Mettiō exercitūque eĵus ab Albā accītō, contrā hostēs dūcit.

---

1. Il s'agit de Camille.

2. PRĀVUS, -A, -UM, *adj. qual.* — tortu, de travers, difforme, mauvais. [dépravé *; per*, παρά]

3. PLŪS, PLŪRIS, *n. nt.* — davantage, plus, une plus grande quantité. [*pleō, plēnus ;* πολύς, *viel* ; pluriel, pluralité, plusieurs]

4. Il s'agit du complot ourdi par Mettius.

5. TRĀNSITIŌ, -ŌNIS, *n.f.* — ici, « défection ». Le génitif indique que le pacte stipulait cette défection.

6. DĒSCĪSCŌ, -IS, -ERE, ĪVĪ, -ĪTUM, *v. i.* [*ab aliquō*] — faire défection ; se détacher de, se séparer de, renoncer à. [sciō > scīscō, « agréer, décider, arrêter »]

Ubī Anienem trānsiit, ad cōnfluentēs conlocat castra. Inter eum locum et Fīdēnās, Veĵentium exercitus Tiberim trānsierat.

Hī et in aciē, prope flūmen, tenuēre dextrum cornū ; in sinistrō Fīdēnātēs propius montēs cōnsistunt. Tullus adversus Veĵentem hostem dērigit suōs ; Albānōs contrā legiōnem Fīdēnātium conlocat. Albānō nōn plūs animī erat quam fideī.

Nec manēre ergō nec trānsīre apertē ausus, sēnsim ad montēs succēdit[1] ; inde, ubi satis subīsse sēsē ratus est, ērigit tōtam aciem, fluctuānsque animō, ut tereret tempus, ōrdinēs explicat.

Cōnsilium erat *quā fortūna rem daret, eā inclīnāre vīrēs*. Mīrāculō prīmō esse Rōmānīs, quī proximī steterant, ut nūdārī latera sua sociōrum dīgressū sēnserunt ! Inde eques, citātō equō, nūntiat rēgī abīre Albānōs. Tullus, in rē trepidā, duodecim vōvit[2] Saliōs, fānaque Pallōrī[3] ac Pavōrī.

Equitem clārā increpāns vōce, ut hostēs exaudīrent, redīre in prœlium jubet "*nihil trepidātiōne opus esse ; suō jussū circumdūcī Albānum exercitum, ut Fīdēnātium nūda terga invādant*". Idem imperat ut hastās[4] equitēs ērigerent.

Id factum, magnæ partī peditum Rōmānōrum, cōnspectum abeuntis Albānī exercitūs intersæpsit[5] ; quī vīderant id quod

---

1. *Ad montem succēdō*, « s'avancer au pied d'une montagne ».

2. VOVEŌ, VOVĒS, VOVĒRE, VŌVĪ, VŌTUM, *v. t.* — faire un vœu à une divinité, promettre, vouer. [εὔχομαι ; vouer, dévouer, vœu, vote]

3. PALLOR, -ŌRIS, *n. f.* — pâleur de l'effroi.

4. HASTA, -Æ, *n. f.* — arme formée d'un bâton (hampe munie d'un fer), lance, pique, javelot.

5. INTERSÆPIO, -ĪS, -ĪRE, -SÆPSĪ, -SÆPTUM, *v. t.* — boucher, obstruer, barrer [<*sæpio*, « enclore, entourer, enfermer »].

ab[1] rēge audītum erat ratī[2], eō ācrius pugnant. Terror ad hostēs trānsit ; et audīverant clārā vōce dictum, et magna pars Fīdēnātium — ut quibus colōnī additī Rōmānī essent — Latīnē sciēbant.

Itaque nē, subitō ex collibus dēcursū Albānōrum, interclūderentur ab oppidō, terga vertunt. Īnstat Tullus ; fūsōque Fīdēnātium cornū, in Veĵentem, aliēnō pavōre perculsum, ferōcior redit. Nec illī tulēre impetum ; sed ab effusā[3] fugā flūmen, objectum ab tergō[4], arcēbat : quō postquam fuga inclīnāvit, aliī arma fœdē jactantēs in aquam cæcī ruēbant ; aliī dum cūnctantur in rīpīs, inter fugæ pugnæque cōnsilium, oppressī. Nōn alia ante Rōmāna pugna atrōcior fuit.

[28] Tum Albānus exercitus, spectātor certāminis, dēductus in campōs. Mettius Tullō dēvictōs hostēs grātulātur ; contrā Tullus Mettium benignē adloquitur. Quod bene vertat[5], castra Albānōs Rōmānīs castrīs jungere jubet ; sacrificium lūstrāle in diem posterum parat.

Ubī inlūxit, parātīs omnibus, ut adsolet, vocārī ad contiōnem utrumque exercitum jubet. Præcōnēs[6], ab extrēmō

1. Ici, « de la part de ».
2. REOR dans le sens de « croire ».
3. La fuite est dispersée, débandée.
4. Avant qu'il ne se missent à fuir, le fleuve était effectivement dans leur dos.
5. Subjonctif de souhait ; *quod* est un relatif de liaison.
6. PRÆCŌ, -ŌNIS, *n. m.* — crieur public, héraut. [*præ+vocō* ?; esp. *pregón*]

ōrsī, prīmōs excīvēre Albānōs. Hī, novitāte etiam reī mōtī, ut rēgem Rōmānum contiōnantem audīrent, proximī[1] cōnstitēre.

Ex compositō, armāta circumdatur Rōmāna legiō ; centuriōnibus datum negōtium erat : ut sine morā imperia exsequerentur. Tum ita Tullus īnfit :

« Rōmānī, sī unquam ante aliās, ūllō in bellō, fuit quod prīmum dīs immortālibus grātiās agerētis, deinde vestræ ipsōrum[2] virtūtī, hesternum[3] id prœlium fuit. Dīmicātum est enim nōn magis cum hostibus quam — quæ dīmicātiō maĵor, atque perīculōsior est — cum prōditiōne ac perfidiā sociōrum !

« Nam — nē vōs falsa opīniō teneat — injussū meō Albānī subiēre ad montēs, nec imperium illud meum, sed cōnsilium et imperiī simulātiō fuit — ut nec vōbīs, ignōrantibus dēserī vōs, āverterētur ā certāmine animus, et hostibus, circumvenīrī sē ab tergō ratīs, terror ac fuga injicerētur.

« Nec ea culpa quam arguō omnium Albānōrum est : ducem secūtī sunt, ut et vōs, sī quō ego inde agmen dēclīnāre voluissem, fēcissētis. Mettius ille est ductor itineris huĵus, Mettius īdem huĵus māchinātor bellī, Mettius fœderis Rōmānī Albānīque ruptor ! Audeat deinde tālia alius, nisi, in hunc, īnsigne jam documentum mortālibus dederō. »

---

1. La proximité dont il s'agit est à entendre relativement au roi qu'ils veulent entendre.

2. Le latin utilise rarement l'adjectif proprius, qui pourrait valoir le français « propre » ; pour dire l'idée que nous exprimons avec « votre propre vertu », il utilise généralement le pronom *ipse.*

3. HESTERNUS, -A, -UM, *adj. qual.* — d'hier. [*herī* ; *æternus, sempiternus, hodiernus* ; *yesterday*]

Centuriōnēs armātī Mettium circumsistunt ; rēx cētera, ut orsūs erat, peragit :

« *Quod bonum faustum fēlīxque sit populō Rōmānō ac mihi vōbīsque, Albānī, populum omnem Albānum Rōmam trādūcere in animō est — cīvitātem dare plēbī, prīmōrēs in patrēs legere, ūnam urbem, ūnam rem pūblicam facere. Ut ex ūnō quondam in duōs populōs dīvīsa Albāna rēs est, sīc nunc in ūnum redeat.* »

Ad hæc Albāna pūbēs, inermis ab armātīs sæpta, in variīs voluntātibus, commūnī tamen metū cōgente, silentium tenet. Tum Tullus « *Mettī Fufētī,* inquit, *sī ipse discere possēs fidem ac fœdera servāre, vīvō tibi ea disciplīna ā mē adhibita esset ; nunc quoniam tuum īnsānābile ingenium est, at tū, tuō suppliciō, docē hūmānum genus ea sāncta crēdere quæ ā tē violāta sunt.*

« *Ut igitur, paulō ante, animum inter Fīdēnātem Rōmānamque rem ancipitem gessistī, ita jam corpus passim distrahendum dabis.* » Exinde duābus admōtīs quadrīgīs, in currūs eārum distentum inligat Mettium ; deinde in dīversum iter equī concitātī, lacerum[1] in utrōque currū corpus, quā inhæserant vinculīs membra, portantēs.

Āvertēre omnēs ab tantā fœditāte spectāculī oculōs. Prīmum ultimumque illud supplicium apud Rōmānōs, exemplī[2] parum memoris lēgum hūmānārum, fuit : in aliīs, glōriārī licet nūllī gentium mītiōrēs placuisse pœnās.

---

1. LACER, LACERA, LACERUM, *adj. qual.* — mutilé, déchiré, mis en pièces.

2. Complément du pronom *parum* ; *lēgum* est complément de l'adjectif *memor.*

[29] Inter hæc jam præmissī Albam erant equitēs, quī multitūdinem trādūcerent Rōmam. Legiōnēs deinde ductæ ad dīruendam urbem.

Quæ ubi intrāvēre portās, nōn quidem fuit tumultus ille, nec pavor quālis captārum esse urbium solet, cum, effrāctīs portīs strātīsve, ariete mūrīs, aut arce vī captā, clāmor hostīlis, et cursus per urbem armātōrum, omnia ferrō flammāque miscet.

Sed silentium trīste ac tacita mæstitia ita dēfīxit[1] omnium animōs, ut præ metū, oblītī quid relinquerent, quid sēcum ferrent, dēficiente cōnsiliō, rogitantēsque aliī aliōs, nunc in līminibus stārent, nunc errābundī, domōs suās, ultimum illud vīsūrī, pervagārentur.

Ut vērō jam equitum clāmor, exīre jubentium, īnstābat, jam fragor tēctōrum, quæ dīruēbantur ultimīs urbis partibus, audiēbātur. Pulvisque ex distantibus locīs ortus, velut nūbe inductā[2], omnia implēverat, raptim[3] quibus[4] quisque poterat elatīs, cum larem ac penātēs, tēctaque in quibus nātus quisque ēducātusque esset, relinquentēs exīrent, jam continēns agmen migrantium implēverat viās.

Et cōnspectus aliōrum, mūtuā miserātiōne, integrābat lacrimās ; vōcēsque etiam miserābilēs exaudiēbantur,

---

1. DĒFĪGŌ, -IS, -ERE, -FĪXĪ, FĪCTUM, *v. t.* — planter, enfoncer, ficher, fixer, clouer.

2. L'idée est que le nuage de poussière s'allongeait, s'étendait d'un bout à l'autre de la ville.

3. RAPTIM, *adv.* — à la hâte, précipitamment.

4. = *iīs quæ.* [Attraction du relatif, à l'imitation du grec].

mulierum præcipuē, cum, obsessa ab armātīs, templa augusta præterīrent, ac velut captōs relinquerent deōs.

Ēgressīs urbe Albānīs, Rōmānus passim pūblica prīvātaque omnia tēcta adæquat solō, ūnaque hōra quadringentōrum[1] annōrum opus, quibus Alba steterat, excidiō ac ruīnīs dedit. Templīs[2] tamen deum — ita enim ēdictum ab rēge fuerat — temperātum est[3].

Sabīnum bellum

[30] Rōma interim crēscit Albæ ruīnīs. Duplicātur cīvium numerus. Cælius[4] additur urbī mōns ; et quō frequentius habitārētur, eam sēdem Tullus rēgiæ capit, ibique habitāvit.

Prīncipēs Albānōrum in patrēs, ut ea quoque pars reī pūblicæ crēsceret, lēgit : Jūliōs[5], Servīliōs, Quīnctiōs, Gegāniōs, Cūriātiōs, Clœliōs. Templumque, ōrdinī ab sē auctō,

---

1. Cf. note 1, page 41.

2. On peut considérer qu'il s'agit d'un datif qui indique quels sont les bénéficiaires de la modération.

3. TEMPERŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t & i.* — ici, avec le datif : épargner, ménager.

4. La plus vaste des sept collines de Rome, à l'est du Palatin, et donc au sud-est de la ville.

5. La fameuse *gens Jūlia,* celle de Jules César. La *gēns Servīlia* est elle aussi une famille patricienne éminente, dont est issue Servilia, amante de César et mère de Brutus. La *gēns Quīnctia* est celle du fameux Cincinnatus, évoqué longuement dans le livre III, qui retourna au travail de la terre après ses dictatures. Les *Gegāniī* ont eu un rôle important jusqu'au IV^e^ siècle ; ils sont évoqués dans les livres II à VI. Les Cūriātiī et les Clœliī célèbres, mis à part les trois frères Curiace et Clélie (livre II), sont peu nombreux.

cūriam[1] fēcit — quæ Hostīlia, usque ad patrum nostrōrum ætātem, appellāta est.

Et, ut omnium ōrdinum vīribus aliquid ex novō populō adjicerētur, equitum decem turmās[2] ex Albānīs lēgit ; legiōnēs et veterēs eōdem supplēmentō explēvit, et novās scrīpsit. Hāc fīdūciā vīrium, Tullus Sabīnīs bellum indīcit — gentī, eā tempestāte, secundum Etrūscōs opulentissimæ virīs armīsque.

Utrimque injūriæ factæ ; ac rēs nēquīquam erant repetītæ : Tullus *"ad Fērōniæ[3] fānum, mercātū[4] frequentī, negōtiātōrēs Rōmānōs comprehēnsōs"* querēbātur ; Sabīnī *"suōs prius in lūcum cōnfūgisse, ac Rōmæ retentōs."*

Hæ causæ bellī ferēbantur. Sabīnī haud parum memorēs, et suārum vīrium partem Rōmæ ab Tatiō locātam[5], et Rōmānam rem nūper etiam, adjectiōne populī Albānī, auctam,

---

1. Cf. Varron, *Dē linguā Latīnā*, V, 155 : « *Cūriæ duōrum generum : nām et ubi cūrārent sacerdōtēs rēs dīvīnās, ut Curiæ Veterēs, et ubi senātus hūmānās, ut Curia Hostīlia, quod prīmus ædificāvit Hostīlius rēx*. » ; et VII, 10 : « *Cūria Hostīlia templum est et sānctum nōn est* ». Ce qui signifierait que la Curie est inviolable.

2. TURMA, -Æ, *n. f.* — turme, escadron [dixième partie d'une aile, primitivement trente hommes].

3. Au pied du mont Soracte, aujourd'hui Saint-Oreste, et à trois milles d'Anxur, aujourd'hui Terracine. Cf. Virgile, dans le catalogue des Italiens qui suivront Turnus (VII, 799) : « *[Quī] Rutulōsque exercent vomere collēs / Circaeumque jugum, Quīs Juppiter Ānxūrus arvīs / præsidet, et viridī gaudēns Fērōnia lūcō.* » Feronia est une divinité ancienne des sources et des bois, vénérée en plusieurs endroits de l'Italie centrale. (Boxus et Poucet, *L'Énéide Louvaniste*, 2009)

4. MERCĀTUS, -ŪS, *n. m.* — commerce, marché, foire. [*mercato*]

5. Sous-entendre *esse*. L'infinitive, comme la suivante, dépend de *memorēs*.

circumspicere et ipsī externa auxilia. Etrūria erat vīcīna ; proximī Etrūscōrum Veĵentēs.

Inde — ob residuās bellōrum īrās maximē sollicitātīs ad dēfectiōnem animīs — voluntāriōs trāxēre ; et, apud vagōs quōsdam ex inopī plēbe etiam, mercēs valuit. Pūblicō[1] auxiliō nūllō adjūtī sunt ; valuitque apud Veĵentēs — nam dē cēterīs minus mīrum est ! — pācta cum Rōmulō indūtiārum fidēs[2].

Cum bellum utrimque summā ope parārent — vertīque in eō rēs vidērētur : utrī prius arma īnferrent —, occupat Tullus in agrum Sabīnum trānsīre. Pugna atrōx ad silvam Malitiōsam[3] fuit, ubi et peditum quidem rōbore, cēterum[4] equitātū auctō nūper, plūrimum Rōmāna aciēs valuit. Ab equitibus repente invectīs, turbātī ōrdinēs sunt Sabīnōrum ; nec pugna deinde illīs cōnstāre, nec fuga explicārī, sine magnā cæde potuit.

[31] Dēvictīs Sabīnīs, cum in magnā glōriā, magnīsque opibus, rēgnum Tullī ac tōta rēs Rōmāna esset, nūntiātum rēgī patribusque est "*in monte Albānō lapidibus plūvisse*". Quod cum crēdī vix posset, missīs ad id vīsendum prōdigium in cōnspectū — haud aliter quam cum grandinem[5] ventī glomerātam in terrās agunt crēbrī — cecidēre cælō lapidēs.

---

1. Noter l'asyndète.
2. *Cf.* § 15.
3. On ne sait pas grand-chose sur cette forêt, si ce n'est que Denys d'Halicarnasse (III, 10, 6) dit « περὶ τὴν καλουμένην ὕλην κακοῦργον ». Sans doute l'a-t-on vue comme un repaire de malfaiteurs.
4. CĒTERUM, *adv.* — mais en fait, mais en réalité.
5. GRANDŌ, -INIS, *n. f.* — grêle. [it. *grandine*]

Vīsī etiam audīre vōcem ingentem ex summī cacūminis[1] lūcō "*ut, patriō rītū, sacra Albānī facerent, quæ, velut dīs quoque simul cum patriā relictīs, oblīviōnī dederant, et aut Rōmāna sacra suscēperant aut fortūnæ, ut fit, obīrātī*[2] *cultum relīquerant deum*[3]*.*"

Rōmānīs quoque ab eōdem prōdigiō novendiāle[4] sacrum pūblicē susceptum est, seu vōce cælestī ex Albānō monte missā — nam id quoque trāditur —, seu haruspicum monitū. Mānsit certē sollemne — ut quandōque[5] idem prōdigium nūntiārētur, fēriæ per novem diēs agerentur.

Haud ita multō post, pestilentiā[6] labōrātum est. Undē cum pigritia[7] mīlitandī orerētur[8], nūlla tamen ab armīs quiēs dabātur ā bellicōsō rēge — salūbriōra[9] etiam crēdente mīlitiæ quam domī juvenum corpora esse, dōnec ipse quoque longinquō morbō est implicitus.

---

1. CACŪMEN, -INIS, *n. nt.* — sommet, pointe, faîte. Il s'agit ici du sommet du mont Albain.

2. OBĪRĀSCOR, -ERIS, -Ī, OBĪRĀTUS SUM, *v. + dat.* — s'irriter contre. [<*īra* ; irascible]

3. = *deōrum.*

4. NOVENDIĀLIS, -E, *adj. qual.* — qui dure neuf jours.

5. = *quandōcumque.*

6. PESTILENTIA, -Æ, *n. f.* — pestilence, épidémie. [*pestis, pestifer.* Le suffixe *-ilent-/-olent-/-ulent-* pourrait signifier « qui déborde de » ; on pourrait, en synchronie, le rapprocher de *oleō* : *opulentia, sanguinolentus, somnolentia, vīnolentia, violentia, corpulentia, pūrulentia, sūculentus, truculentia, turbulentus, virulentia…*]

7. PIGRITIA, -Æ, *n. f.* — paresse. [*piger, mē piget*]

8. = *orīrētur.*

9. SALŪBER ou SALŪBRIS, -E, *adj. qual.* — utile à la santé, salutaire, sain, salubre. [*salūs, salvē, solidus, sollus* ; ὅλος]

Tunc adeō frāctī, simul cum corpore, sunt spīritūs illī ferōcēs, ut quī nihil ante ratus esset minus rēgium, quam sacrīs dēdere animum, repente omnibus magnīs parvīsque superstitiōnibus obnoxius[1] dēgeret[2], religiōnibusque etiam populum implēret.

Vulgō jam hominēs, eum statum rērum quī sub Numā rēge fuerat requīrentēs, ūnam opem[3] ægrīs corporibus relictam, sī pāx veniaque ab dīs impetrāta esset, crēdēbant. Ipsum rēgem trādunt volventem commentāriōs Numæ, cum ibi quædam occulta sollemnia sacrificia Jovī Ēliciō facta invēnisset, operātum[4] hīs sacrīs sē abdidisse.

Sed nōn rīte initum aut cūrātum id sacrum esse, nec sōlum nūllam eī oblātam cælestium speciem, sed, īrā Jovis sollicitātī prāvā religiōne, fulmine ictum cum domō cōnflagrāsse[5]. Tullus, magnā glōriā bellī, rēgnāvit annōs duōs et trīgintā.

---

1. OBNOXIUS, -A, -UM, *adj. qual. + dat.* — soumis à qqn, redevable à qqn pour une faute, assujetti à ; exposé à (qqch. de fâcheux, de mauvais). [*noxa* (<*noceō*), « tort, préjudice, dommage » ; cf. *necō,* n.5, p.23]

2. = *dēgeret vītam.*

3. La subordonnée qui suit, introduite par *sī,* développe quelle est cette unique ressource.

4. Supin, complément de *abdō.*

5. CŌNFLAGRŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. i.* — être tout en feu, se consumer par le feu. [*flamma, fulgeō, fulmen,* φλόξ ; flagrant, conflagration]

Dē Ancō Marciō

DĒ BELLICĪS CÆRIMŌNIĪS

[32] Mortuō Tullō, rēs, ut īnstitūtum jam inde ab initiō erat, ad patrēs redierat ; hīque *interrēgem* nōmināverant. Quō comitia habente, Ancum Marcium rēgem populus creāvit ; patrēs fuēre auctōrēs.

Numæ Pompilī rēgis nepōs, fīliā ortus, Ancus Marcius erat. Quī ut rēgnāre cœpit, et avītæ glōriæ memor, et quia proximum rēgnum, cētera ēgregium, ab ūnā parte haud satis prōsperum fuerat — aut neglēctīs religiōnibus aut prāvē cultīs —, longē antīquissimum ratus[1] sacra pūblica, ut ab Numā īnstitūta erant, facere, omnia ea ex commentāriīs rēgiīs pontificem, in album[2] ēlāta, prōpōnere in pūblicō jubet.

---

1. Le sens de *reor* penche ici du côté de « décider ».

2. « L'album où se promulguaient les actes de l'autorité publique est défini par Servius (*ad Æn.* I, 373), *fābula dealbāta* : ce qui fait entendre que ces inscriptions étaient tracées sur du bois peint en blanc. Souvent aussi, principalement dans l'antiquité grecque, elles l'étaient sur la muraille même, à en juger par plusieurs expressions de Platon (*Lois* VI, 23 ; IX, 4), de Démosthène (*Contre Timocrate*, p. 707 Reiske), et par la longue façade destinée à cet usage qu'on voit encore à Pompéi, que Mazois a dessinée, et que M. Letronne (*Recherches sur l'Égypte*, p. 427) compare à ces pilastres mentionnés dans quelques inscriptions grecques, παραστάδες. Tel est l'usage que Suidas explique au mot Λεύκωμα, muraille enduite de chaux propre à la transcription des actes publics : Τοῖχος γύψῳ ἀληλεμμένος πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος. À Rome, c'était une tablette de bois simplement blanchie πίναξ λελευκωμένος, comme disaient, en parlant des proscriptions, les historiens grecs Dion Cassius et Jean d'Antioche (*Excerpt. Peirese.* p. 658, 798. Hesychius : πινάκιον, τὸ λεύκωμα), ou recouverte de stuc, si l'on adopte l'interprétation que, d'après Winckelmann (*Seconde lettre sur Herculanum*), M. Fea dans le prodrome de ses *Frammenti di fasti consolari*, Rome, 1820,

Inde, et cīvibus ōtiī cupidīs, et fīnitimīs cīvitātibus, facta spēs in avī mōrēs atque īnstitūta rēgem abitūrum. Igitur Latīnī cum quibus, Tullō rēgnante, ictum fœdus erat sustulerant animōs ; et cum incursiōnem in agrum Rōmānum fēcissent, repetentibus rēs Rōmānīs superbē respōnsum reddunt — dēsidem[1] Rōmānum rēgem inter sacella[2] et ārās āctūrum esse rēgnum ratī.

Medium erat in Ancō ingenium, et Numæ et Rōmulī memor, et "*præterquam quod*[3] *āvī rēgnō magis necessāriam fuisse pācem* crēdēbat, *cum in novō tum ferōcī populō ; etiam quod*[4] *illī contigisset ōtium sine injūriā, id sē haud facile habitūrum*[5] *— temptārī patientiam et temptātam contemnī : temporaque esse Tullō rēgī aptiōra quam Numæ.*"

Ut tamen — quoniam Numa in pāce religiōnēs īnstituisset — ā sē bellicæ cærimōniæ prōderentur, nec gererentur sōlum, sed etiam indīcerentur bella aliquō rītū, jūs

---

donne au mot *dealbare* qu'il traduit par *intonacare di marmo*. Ainsi se publiaient l'édit annuel et les autres actes du préteur (Voyez Plaute, *Persa*, I, 2, 22 et la note latine de M. Naudet, t. II, de son édition, p. 547). On connaît aussi l'album des juges, des décurions, des sénateurs, des citharèdes, etc. (Voyez Mazzocchi, in Tab. Heracl. p. 309). » M. Leclerc, ouvr. cité p. 83 *sqq.* (PLB)

1. DESES, DESIDIS, *adj. qual.* — oisif, inoccupé. [*dēsideō, dēsidia*]

2. SACELLUM, -ī, *n. nt.* — chapelle, petite enceinte consacrée, petit sanctuaire. [*sacer*]

3. PRÆTERQUAM QUOD : « outre le fait que ».

4. Ce *quod* introduit ici une proposition relative sans antécédent (*Age quod agis*), et est en même temps un corrélatif repris par *id* juste après.

5. Sous-entendre *crēdēbat*. De même pour les infinitives qui suivent, à moins qu'on ne les rattache à *ingenium*.

ab antīquā gente Æquīculīs[1], quod nunc fētiālēs habent, dēscrīpsit, quō rēs repetuntur.

Lēgātus ubi ad fīnēs eōrum venit unde rēs repetuntur, capite vēlātō fīlō[2] — lānæ vēlāmen est — « *Audī, Juppiter,* inquit, *audītē, fīnēs* » — cuĵuscumque gentīs sunt, nōminat — ; « *audiat Fās*[3]. »

« *Ego sum pūblicus nūntius populī Rōmānī ; jūstē piēque lēgātus veniō, verbīsque meīs fidēs sit.* » Peragit deinde postulāta. Inde Jovem testem facit: « *Sī ego injūstē impiēque illōs hominēs, illāsque rēs, dēdier*[4] *mihi exposcō, tum patriæ compotem*[5] *mē nunquam sīrīs*[6] *esse.* »

---

1. C'était une opinion généralement admise que les Équicoles étaient les auteurs des formules qui constituaient en quelque sorte le droit des féciaux ; Valérius (*Epitom. de prænōmin.*) en attribue la rédaction à Sertor Resius : « *Ab Aequicolis Sertorem Resium, qui primus jus fetiale instituit.* »

Les Équicoles et mieux Équicules (Heyne *ad Virg.*, *Æn.*, VII, 747) appelés aussi Èques, Équens, Équiculains (*Æquī, Æquānī, Æquīculānī*), étaient une race sauvage, de montagnards établis sur les dette rives de l'Anio, entre les Marses, les Péligniens et les Sabelles. (PLB)

2. FĪLUM, -ī, *n. nt.* — fil ; filament [v. *apiculum*] enroulé autour du bonnet du flamine, comme le στέμμα des Grecs.

3. *Fās* est donc aussi une divinité, un être animé, qui peut écouter les paroles humaines.

4. = *dedī.*

5. Cf. note 4, p. 22.

6. = *sīveris* ← *sino, sinis, sinere, sīvī, situm.*

Hæc, cum fīnīs suprāscandit[1], hæc, quīcumque eī prīmus vir obvius fuerit, hæc portam[2] ingrediēns, hæc forum ingressus — paucīs verbīs carminis[3], concipiendīque[4] jūris jūrandī, mūtātīs — peragit. Sī nōn dēduntur quōs exposcit diēbus tribus et trīgintā — tot enim sollemnēs sunt — perāctīs, bellum ita indīcit :

« *Audī, Juppiter, et tū, Jāne Quirīne, dīque omnēs cælestēs, vōsque terrestrēs vōsque īnfernī, audīte ! Ego vōs testor populum illum* — quīcumque est, nōminat — *injūstum esse neque jūs persolvere ; sed dē istīs rēbus, in patriā, maĵōrēs nātū cōnsulēmus, quō pactō jūs nostrum adipīscāmur*[5]. »

Cum †…† nūntius Rōmam ad cōnsulendum redit, cōnfestim rēx hīs fermē verbīs patrēs cōnsulēbat :

« *Quārum rērum, lītium causārum, condīxit*[6] *Pater Patrātus populī Rōmānī Quirītium Patrī Patrātō Prīscōrum Latīnōrum, hominibusque Prīscīs Latīnīs, quās rēs nec dederunt nec solverunt nec fēcerunt, quās rēs darī, fierī, solvī, oportuit, dīc* — inquit eī quem prīmum sententiam rogābat — *quid cēnsēs ?* »

---

1. Cf. *scandō, dēscendō, ēscendo…* L'absence d'apophonie s'explique sans doute du fait que le préfixe de deux syllabes n'est pas entièrement soudé au verbe, qu'on se retrouve comme dans un mot composé : le -a- de *scandō* n'est pas vraiment en syllabe intérieure. Cela existe avec une seule syllabe : *separāre, comparāre / imperāre.*

2. Il s'agit de la porte de la ville ennemie.

3. Ce *carmen* est sans doute la première partie de la formule, invocation chantée : « *Audī… Fās* ». Le *jūs jūrandum* en est la suite : « *Ego… esse.* »

4. *Concipiō* : prendre ensemble, assembler les mots en une formule.

5. *Cf.* note 5.

6. Ici, « promettre ».

Tum ille : « *Pūrō piōque duellō*[1] *quærendās cēnseō ; itaque cōnsentiō,* [2]*cōnscīscōque.* » Inde ōrdine aliī rogābantur ; quandōque pars maĵor eōrum quī aderant in eandem sententiam ībat, bellum erat cōnsēnsum. Fierī solitum ut fētiālis hastam ferrātam, aut sanguineam[3], præustam ad fīnēs eōrum ferret, et nōn minus tribus pūberibus præsentibus dīceret :

« *Quod populī Prīscōrum Latīnōrum, hominēsque Prīscī Latīnī, adversus populum Rōmānum Quirītium fēcerunt, dēlīquerunt*[4] *; quod populus Rōmānus Quirītium bellum cum Prīscīs Latīnīs jussit esse ; senātusque populī Rōmānī Quirītium cēnsuit, cōnsēnsit, cōnscīvit ut bellum cum Prīscīs Latīnīs fieret — ob eam rem ego, populusque Rōmānus populīs Prīscōrum Latīnōrum, hominibusque Prīscīs Latīnīs, bellum indīcō, faciōque.* »

Id ubi dīxisset, hastam in fīnēs eōrum ēmittēbat. Hōc tum modō ab Latīnīs repetītæ rēs ac bellum indictum ; mōremque eum posterī accēperunt.

---

1. *duellum* est une forme ancienne de *bellum*.

2. CŌNSCĪSCŌ, -IS, -ERE, SCĪVĪ ET SCIĪ, SCĪTUM, *v. t.* —[t. officiel] décider (en commun), arrêter une décision.

3. Le sens de « *hastam ferrātam, aut sanguineam, præustam* » est très discuté : le sens littéral de cette expression des manuscrits ne semblant pas correspondre du tout avec ce qu'on sait des rituels romains. Diverses hypothèses contradictoires sont proposées. De ce fait, notre ponctuation est tout à fait discutable.

4. DĒLINQUŌ, -IS, -ERE, -LĪQUĪ, -LICTUS, *v. i* — faire défaut, faire faute, manquer ; manquer moralement, faillir, être en faute. [délinquant, délit, délictueux]

[33] Ancus — dēmandāta cūrā sacrōrum flāminibus, sacerdōtibusque aliīs — exercitū novō cōnscrīptō profectus, Politōrium, urbem Latīnōrum, vī cēpit. Secūtusque mōrem rēgum priōrum — quī rem Rōmānam auxerant hostibus in cīvitātem accipiendīs — multitūdinem omnem Rōmam trādūxit.

Et cum circā Palātium, sēdem veterum Rōmānōrum, Sabīnī Capitōlium atque arcem, Cælium montem Albānī implēssent, Aventīnum novæ multitūdinī datum. Additī eōdem haud ita multō post, Tellēnīs[1] Ficānāque captīs, novī cīvēs. Politorium inde rūrsus bellō repetītum, quod vacuum occupāverant Prīscī Latīnī ; eaque causa dīruendæ urbis eĵus fuit Rōmānīs, nē hostium semper receptāculum esset.

Postrēmō omnī bellō Latīnō Medulliam[2] compulsō, aliquamdiū ibi Mārte incertō, variā victōriā pugnātum est. Nam et urbs, tūta mūnitiōnibus, præsidiōque firmātā validō erat ; et, castrīs in apertō positīs, aliquotiēns exercitus Latīnus comminus[3] cum Rōmānīs signa contulerat.

Ad ultimum, omnibus cōpiīs cōnīsus, Ancus aciē prīmum vincit. Inde ingentī prædā potēns, Rōmam redit ; tum quoque, multīs mīlibus Latīnōrum in cīvitātem acceptīs, quibus, ut jungerētur Palātiō Aventīnum, ad Murciæ[4] datæ sēdēs.

---

1. Telléna et Ficana sont sans doute des bourgades situées entre Rome et Ostie.

2. Colonie d'Albe, au nord-est de Rome.

3. COMMINUS, *adv.* — de près. [*cum* + *manus*]

Jāniculum quoque adjectum, nōn inopiā locī, sed nē quandō ea arx hostium esset. Id nōn mūrō sōlum, sed etiam ob commoditātem itineris, ponte subliciō[1] — tum prīmum in Tiberī factō — conjungī urbī placuit. Quirītium quoque fossa, haud parvum mūnīmentum ā plāniōribus aditū[2] locīs, Ancī rēgis opus est.

Ingentī incrēmentō[3] rēbus auctīs, cum, in tantā multitūdine hominum — discrīmine rēctē an perperam factī cōnfūsō — facinora clandestīna fierent, carcer ad terrōrem incrēscentis audāciæ, mediā urbe, imminēns forō, ædificātur.

Nec urbs tantum hōc rēge crēvit, sed etiam ager fīnēsque. Silvā Mæsiā[4] Veĵentibus adēmptā, usque ad mare imperium prōlātum ; et in ōre Tiberis Ōstia urbs condita. Salīnæ circā factæ ; ēgregiēque rēbus bellō gestīs, ædis Jovis Feretrī[5] amplificāta.

---

4. Murcia était une déesse latine identifiée avec Vénus et dont le temple était situé sur le mont Aventin (Serv. *ad Æn.* VIII, 656). On n'est pas d'accord sur l'étymologie de ce nom. Suivant les uns, Murcia ou Murtiæe équivaut à Myrtea et viendrait de ce que près du temple de Vénus, sur l'Aventin, se trouvait un bois de myrtes (Plin., H. N. XV, 36, 20. Serv. *ad Æn.* I, 724. Varro et Festus, *sub vōc.* Plut. *Vest. Rōm.* XX). Suivant d'autres il serait dérivé du mot syracusain μυρκός délicat (Saumaise sur Solin, p. 637). Enfin d'autres pensent qu'elle avait été ainsi appelée comme rendant lâche et paresseux, *murcidus*, saint August., *dē Cīv.* D. IV, 16. Arnob. IV, 9). Voy. J. A. Hartung, *Religion des Romains*, t. II, p. 249.

1. de *sublica (sub + liquor)*, pieu, pilotis ⟶ « sur pilotis ».

2. Supin complément de l'adjectif *plānus.*

3. INCRĒMENTUM, -Ī, *n. nt.* — accroissement, développement, augmentation. [*crēscō* ; incrément, incrémenter]

4. Forêt située donc sans doute sur la rive droite du Tibre, et touchant à la mer.

5. Cf. note 3, p. 46.

[34] Ancō rēgnante, Lucumō[1], vir impiger ac dīvitiīs potēns, Rōmam commigrāvit, cupīdine maximē ac spē magnī honōris, cuĵus adipīscendī Tarquiniīs — nam ibi[2] quoque peregrīnā stirpe oriundus erat — facultās nōn fuerat. Dēmarātī Corinthiī[3] fīlius erat — quī, ob sēditiōnēs, domō profugus, cum Tarquiniīs forte cōnsēdisset, uxōre ibi ductā, duōs fīliōs genuit.

Nōmina hīs Lucumō atque Arrūns fuerunt. Lucumō superfuit patrī, bonōrum omnium hērēs : Arrūns prior quam pater moritur, uxōre gravidā relictā. Nec diū manet superstes[4] fīliō pater ; quī cum, ignōrāns nurum[5] ventrem ferre[6], immemor in testandō nepōtis, dēcessisset — puerō, post avī

---

1. Étymologie discutée. Pour certains, il s'agit de la désignation des rois en étrusque ; pour d'autres, c'est une façon de désigner les Étrusques en général. En tout cas, cela marque le personnage comme étrusque. Cf. D. Briquel (1987), *Royauté en Étrurie*.

2. = *Tarquiniīs*.

3. Nieb., t. 1, p. 595 ; t. II, p. 70 de la tr. fr., semble penser que la tradition qui donnait une origine grecque à Tarquin n'avait été introduite dans l'ancienne épopée romaine que peu de temps avant Polybe. Mais, sans revenir ici sur ces prétendues épopées qui paraissent n'avoir existé que dans l'imagination du sceptique allemand (Voy. M. Leclerc, ouvr. cité, p. II, 147 et *passim*), il est constant que cette tradition était déjà admise quand Fabius écrivit son histoire, puisque Denys en la rapportant (IV, 6, 30 et 64), cite l'autorité de ce vieil historien. On la trouvait aussi dans Cassius Hemina (Macrob. III, 4) et enfin l'empereur Claude dans son discours en faveur des Gaulois (*tab.* I, *Cf.* le *Tacite* de M. Burnouf, t. lI, p. 514), en fait mention, d'après les livres étrusques. (PLB)

4. SUPERSTES, -STITIS, *adj. qual.* — qui est présent, témoin ; qui reste, qui subsiste, qui survit, survivant. [*super, stō*]

5. NURUS, -ŪS, *n. f.* — belle-fille, bru. (*Cf.* νυός)

6. *Ventrem ferre* : être enceinte.

mortem, in nūllam sortem bonōrum natō, ab inopiā Egerīō[1] inditum nōmen.

Lucumōnī contrā, omnium hērēdī bonōrum, cum dīvitiæ jam animōs facerent, auxit[2] ducta in mātrimōnium Tanaquil — summō locō nāta, et quæ, haud facile, iīs[3] in quibus nāta erat, humiliōra sineret ea quō[4] innūpsisset[5]. Spernentibus Etrūscīs Lucumōnem exsule advenā ortum, ferre indignitātem nōn potuit ; oblītaque ingenitæ[6] ergā patriam cāritātis, dummodo[7] virum honōrātum vidēret, cōnsilium migrandī ab Tarquiniīs cēpit.

Rōma est ad id potissima vīsa : "*In novō populō, ubi omnis repentīna[8] atque ex virtūte nōbilitās sit, futūrum locum fortī ac strēnuō[9] virō ; rēgnāsse Tatium Sabīnum, arcessītum[10] in*

---

1. C'est-à-dire « Nécessiteux ».

2. L'objet de *auxit* est le même que celui de *facerent : animōs.*

3. *Iīs* et *ea* sont « les choses » — « les choses » dans lesquelles elle est née, celles qui sont dans la famille dans laquelle elle entre. De fait, il s'agit essentiellement des richesses, des biens : les *bona*, les *dīvitiæ* évoqués au début de la phrase.

4. On peut construire ainsi : *humiliōra sineret ea esse eō quō*, en considérant *quō* comme un adverbe relatif de lieu, désignant la famille dans laquelle elle entre.

5. INNŪBŌ, -IS, -ERE, -NŪPSĪ, -NUPTUM, *v. i.*, — entrer [dans une famille] par mariage, en s'unissant à un époux. [*nūbō* < *nūbēs*, « nuage, voile » ; nuptial, nubile]

6. INGENITUS, -A, -UM, *adj. qual.* — inné, naturel. [*in + genitus* < *gignō*]

7. DUMMODO, *conj. subj.* — pourvu que.

8. REPENTĪNUS, -A, -UM, *adj. qual.* — subit, imprévu, soudain. [*repente*]

9. STRENUUS, -A, -UM, *adj. qual.* — diligent, actif, agissant, vif, empressé. [*(s)ter, « fixe » > *sternō*, στερέω, *to stare*]

10. ARCESSŌ, -ĪVĪ, -ĪTUM, -ERE, *v. t.* — faire venir, appeler, mander ; citer (appeler) en justice, accuser ; [fig.] faire venir de, tirer de. [causatif de *accēdo,* « accéder, approcher ». *Ad-* donne *ar-* comme dans *arbiter.*]

rēgnum Numam ā Curibus, et Ancum, Sabīnā mātre ortum, nōbilemque ūnā imāgine[1] *Numæ esse.*"

Facile persuādet ut cupīdō honōrum, et cui Tarquiniī[2] māterna tantum patria esset. Sublātīs itaque rēbus, āmigrant Rōmam.

Ad Jāniculum forte ventum erat. Ibi eī carpentō sedentī cum uxōre aquila, suspēnsīs dēmissa leviter ālīs, pilleum[3] aufert ; superque carpentum cum magnō clangōre[4] volitāns, rūrsus, velut ministeriō dīvīnitus missa, capitī aptē repōnit ; inde sublīmis abiit.

Accēpisse id augurium læta dīcitur Tanaquil — perīta, ut vulgō Etrūscī, cælestium prōdigiōrum mulier. Excelsa[5] et alta spērāre, complexa virum, jubet : "*eam ālitem*[6] *eā regiōne cælī,*

---

1. Tite-Live veut faire entendre que la noblesse d'Ancus ne datait que de Numa, que dans sa généalogie il ne pouvait compter qu'un degré, ne présenter qu'une seule image. On sait toute l'importance que les Romains attachaient au *jūs imāginum* donné par les magistratures curules. Cette institution existait-elle déjà à l'époque de Tarquin l'Ancien ? Rien n'empêche de le croire, car le droit d'images paraît remonter à l'origine du patriciat ; mais il est possible que Tite-Live, en parlant de la noblesse d'Ancus, se soit servi d'une expression en usage de son temps, et ait voulu faire entendre seulement qui Ancus ne comptait qu'un ancêtre. (PLB)

2. TARQUINIĪ, -ŌRUM, *n. m. pl.* — Tarquinies, ville d'Étrurie.

3. PĪLEUS (PILL-), -Ī, *n. m.* — piléus, sorte de bonnet phrygien en laine, dont on coiffait les esclaves qu'on affranchissait.

4. CLANGOR, -ŌRIS, *n. m.* — cri de certains oiseaux. [κλαγγή, claque, clac, clap, clabauder…]

5. EXCELSUS, -A, -UM, adj. qual. — élevé, haut ; [fig.] élevé, grand, noble. [*excello, collis, columna, culmen, celsus* ; κολώνη, κολοφών ; exceller, excellent, excellence]

6. ĀLES, ĀLITIS, *adj. qual* — qui a des ailes, ailé. ĀLĔS, ITIS, *n. m.* et *f.* — (poét.) oiseau ; (en part., dans la langue augurale) oiseau dont le vol est un présage.

et eĵus deī nūntiam, vēnisse ; circā summum culmen[1] *hominis auspicium fēcisse ; levāsse hūmānō superpositum capitī decus*[2] *ut dīvīnitus eīdem redderet.*"

Hās spēs cōgitātiōnēsque sēcum portantēs, urbem ingressī sunt ; [3]domiciliōque ibi comparātō, L. Tarquinium Prīscum ēdidēre nōmen. Rōmānīs cōnspicuum[4] eum novitās dīvitiæque faciēbant ; et ipse fortūnam, benignō adloquiō, cōmitāte invītandī — beneficiīsque, quōs poterat sibi conciliandō — adjuvābat… dōnec in rēgiam quoque dē eō fāma perlāta est.

Nōtitiamque eam brevī apud rēgem, līberāliter dexterēque obeundō[5] officia, in familiāris amīcitiæ addūxerat jūra — ut, pūblicīs pariter ac prīvātīs cōnsiliīs, bellō domīque, interesset ; et per omnia expertus, postrēmō[6] tūtor etiam līberīs rēgis, testāmentō, īnstituerētur.

---

1. CULMEN, CULMINIS, *n. nt.* — faîte, sommet. [Cf. *excelsus* ci-dessus]

2. DECUS, -ORIS — L'ornement, c'est-à-dire, en l'occurrence, le couvre-chef.

3. DOMICILIUM, -Ī, *n. nt.* — domicile, habitation, demeure. [*domus + colō ?, + celō* ; domicile]

4. CŌNSPICUUS, -A, -UM, *adj. qual.* — qui s'offre à la vue, visible ; qui attire les regards, remarquable. [*cōnspicio*

5. OBEŌ, OBĪS, -ĪRE, (-ĪVĪ) ET -Ī, -ITUM, *v.* — (*intr.*) aller au-devant de ; s'en aller, périr, mourir. (*Tr.*) S'approcher de, atteindre ; visiter, parcourir ; aller au devant de qqch., se charger de, s'acquitter de. [Remarquer la répétition du préfixe : *ob-eundō/of-ficia*]

6. POSTRĒMŌ, *adv.* — enfin, en définitive. [superlatif de *postremus*]

Dē Etrūscīs rēgibus

Dē Tarquiniō Prīscō

[35] Rēgnāvit Ancus annōs quattuor et vīgintī ; cuilibet superiōrum rēgum, bellī pācisque et artibus et glōriā, pār. Jam fīliī prope pūberem ætātem erant. Eō magis, Tarquinius īnstāre ut quam prīmum comitia rēgī creandō fierent. Quibus indictīs sub tempus puerōs vēnātum ablēgāvit. Isque prīmus, et petīsse ambitiōsē rēgnum, et ōrātiōnem dīcitur habuisse ad conciliandōs plēbis animōs compositam :

"*Cum sē nōn rem novam petere, quippe quī nōn prīmus, quod quisquam indignārī mīrārīve posset, sed tertius Rōmæ peregrīnus rēgnum adfectet*[1]*. Et Tatium, nōn ex peregrīnō sōlum, sed etiam ex hoste rēgem factum ; et Numam ignārum urbis, nōn petentem, in rēgnum ultrō accītum.*

Sē — ex quō[2] *suī potēns*[3] *fuerit — Rōmam, cum conjuge ac fortūnīs omnibus, commigrāsse ; maĵōrem partem ætātis eĵus, quā cīvīlibus officiīs fungantur hominēs, Rōmæ sē quam in vetere patriā vīxisse ; domī mīlitiæque sub haud pænitendō*[4] *magistrō, ipsō Ancō rēge, Rōmāna sē jūra, Rōmānōs rītūs*[5]*,*

1. ADFECTŌ, -ĀS, ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM, *v. t.* — approcher de, aborder, atteindre ; chercher à atteindre, avoir des vues sur, être en quête de. [*adficiō* ; un style affecté]

2. On peut entendre *ex quō tempore.*

3. POTĒNS, -TIS, *adj. qual. + gén.* — maître, souverain de ; capable de. [*potestās* ; potentat, omnipotent, potentiel]

4. Il s'agit autrement dit d'un maître dont il ne doit pas avoir honte.

didicisse. Obsequiō[1] *et observantiā*[2] *in rēgem, cum omnibus ; benignitāte*[3] *ergā aliōs, cum rēge ipsō certāsse.*"

Hæc eum haud falsā memorantem, ingentī cōnsēnsū, populus Rōmānus rēgnāre jussit. Ergō, virum, cētera[4] ēgregium, secūta quam[5] in petendō habuerat, etiam rēgnantem, ambitiō est. Nec minus rēgnī suī firmandī quam augendæ reī pūblicæ memor, centum in patrēs lēgit — quī deinde *minōrum gentium* sunt appellātī — factiō haud dubia rēgis, cuĵus beneficiō in cūriam vēnerant.

Bellum prīmum cum Latīnīs gessit, et oppidum ibi Apiolās[6] vī cēpit ; prædāque inde — maĵōre quam quanta bellī fāma fuerat — revectā, lūdōs opulentius īnstrūctiusque quam priōrēs rēgēs fēcit.

Tum prīmum circō, quī nunc maximus dīcitur, dēsignātus locus est. Loca dīvīsa patribus equitibusque, ubi spectācula[7]

---

5. RĪTŬS, -ŪS, *n. m.* — rite, cérémonie religieuse ; usage coutume. [*$h_2$er- ; *arma, ārs, artus, ōrdō* ; ἀριθμός, ἄρθρον, ἁρμονία ; all. *Art* ; rituel…]

1. OBSEQUIUM, IĪ, *n.* — complaisance, condescendance, déférence ; obéissance, soumission. [*obsequor* ; obséquieux, obséquiosité]

2. OBSERVANTIA, Æ, *n. f.* — action de remarquer, d'observer ; observation, respect de (des coutumes, des lois) ; considération, égards, déférence. [*observāns* ; observance, observant]

3. BENIGNITĀS, ĀTIS, *n. f.* — bonté, bienveillance ; obligeance, bienfaisance, générosité. [*benignus* = *bene+gignō* ; bénignité, bénin, bénigne, malignité, malin, maligne]

4. cētera, *adv.* — quant au reste, du reste ; désormais.

5. Se rapporte au sujet de *secūta… est* : *ambitiō.*

6. APIOLÆ — Apioles, aux confins du pays volsque

7. SPECTĀCULUM, -Ī, *n. nt* — ici, place, siège qui permet de regarder.

sibi quisque[1] facerent ; forī[2] appellātī ; spectāvēre furcīs duodēnōs ab terrā spectācula alta sustinentibus pedēs.

Lūdicrum fuit equī pugilēsque, ex Etrūriā maximē accītī. Sollemnēs deinde annuī mānsēre lūdī, Rōmānī Magnīque variē[3] appellātī. Ab eōdem rēge et circā forum, prīvātīs ædificanda, dīvīsa sunt loca ; porticūs tabernæque factæ.

Bella Sabīna

[36] Mūrō quoque lapideō circumdare urbem parābat, cum Sabīnum bellum cœptīs intervenit[4]. Adeōque ea subita rēs fuit, ut prius Anienem trānsīrent hostēs, quam obviam īre ac prohibēre exercitus Rōmānus posset.

Itaque trepidātum Rōmæ est. Et prīmō, dubiā victōriā, magnā utrimque cæde pugnātum est. Reductīs deinde in castra hostium cōpiīs, datōque spatiō Rōmānīs ad comparandum dē integrō bellum, Tarquinius, equitem maximē suīs dēesse vīribus ratus, ad Ramnēs, Titiēnsēs, Lucerēs — quās centuriās Rōmulus scrīpserat[5] — addere aliās cōnstituit, suōque īnsignēs relinquere nōmine.

Id quia inaugurātō Rōmulus fēcerat, negāre Attus Nāvius[6] — inclitus eā tempestāte augur — neque mūtārī neque novum

1. QUISQUE s'emploie souvent au singulier avec le verbe au pluriel.
2. FORUS, -Ī, *n. m.* — rang, rangée.
3. VARIĒ, *adv.* — ici, « alternativement ».
4. INTERVENIŌ, -ĪS, -ĪRE, -VĒNĪ, -VENTUM — survenir, interrompre.
5. Cf. § 13.
6. ATTUS NAVIUS — son prénom est sabin (II, 16) ; son gentilice, expressif, est formé sur *(g)nāvus*, « diligent, actif, zélé ».

cōnstituī, nisi avēs addīxissent, posse. Ex eō īra rēgī mōta ; ēlūdēnsque artem, ut ferunt : « Agedum, inquit, dīvīne tū, inaugurā[1] fierīne possit quod nunc ego mente concipiō. »

Cum ille, auguriō rem expertus[2], profectō futūram dīxisset, « *Atquī hoc animō agitāvī*, inquit : *tē novāculā*[3] *cōtem*[4] *discissūrum. Cape hæc ; et perage quod avēs tuæ fierī posse portendunt.* »

Tum illum haud cūnctanter discidisse cōtem ferunt. Statua[5] Attī, capite vēlātō, quō in locō rēs ācta est in comitiō, in gradibus ipsīs, ad lævam cūriæ fuit ; cōtem quoque eōdem locō sitam fuisse memorant, ut esset ad posterōs mīrāculī eĵus monumentum.

Auguriīs certē sacerdōtiōque augurum tantus honōs accessit, ut nihil, bellī domīque, posteā nisi auspicātō[6] gererētur : concilia populī, exercitūs vocātī, summa rērum, ubi avēs nōn admīsissent, dirimerentur.

Neque tum Tarquinius dē equitum centuriīs quicquam mūtāvit ; numerō alterum tantum adjēcit[7], ut mīlle et octingentī equitēs in tribus centuriīs essent. « Posteriōrēs » modo, sub iīsdem nōminibus, quī additī erant appellātī sunt ; quās nunc, quia geminātæ sunt, sex vocant centuriās.

---

1. INAUGURŌ, -ĀS… + *interr. indir.* — prendre les augures pour savoir si.
2. Participe parfait passif : après qu'il eut…
3. NOVĀCULA, -Æ, *n. f.* — rasoir, couteau, poignard.
4. CŌS, -TIS, *n. f.* — pierre à aiguiser, queux.
5. Cette statue brûla en 52 dans l'incendie de la Curie.
6. AUSPĬCĀTŌ, *adv.* — les auspices étant pris, avec de bons auspices. [nt. du part. de *auspicō* à l'abl. abs.]
7. Il en ajouta autant à leur nombre : c'est-à-dire qu'il le doubla.

[37] Hāc parte cōpiārum auctā, iterum cum Sabīnīs cōnflīgitur. Sed præterquam quod vīribus crēverat Rōmānus exercitus, ex occultō[1] etiam additur dolus, missīs quī[2] magnam vim lignōrum, in Aniēnīs rīpā jacentem, ārdentem in flūmen conjicerent ; ventōque juvante, accēnsa ligna, et plēraque in ratibus impācta, sublicīs[3] cum hærērent, pontem incendunt.

Ea quoque rēs in pugnā terrōrem attulit Sabīnīs ; et fūsīs eadem fugam impedit. Multīque mortālēs cum hostem effūgissent in flūmine ipsō periēre — quōrum fluitantia[4] arma ad urbem cognita in Tiberī, prius pæne quam nūntiārī posset, īnsignem victōriam fēcēre.

Eō prœliō præcipua equitum glōria fuit : utrimque ab cornibus positōs, cum jam pellerētur media peditum suōrum aciēs, ita incurrisse ab lateribus ferunt, ut nōn sisterent modo Sabīnās legiōnēs — ferōciter īnstantēs cēdentibus —, sed subitō in fugam āverterent. Montēs effūsō cursū Sabīnī petēbant, et paucī tenuēre : maxima pars, ut ante dictum est, ab equitibus in flūmen āctī sunt.

Tarquinius, īnstandum perterritīs ratus, prædā captīvīsque Rōmam missīs, spoliīs hostium — id vōtum Vulcānō erat — ingentī cumulō accēnsīs, pergit porrō in agrum Sabīnum exercitum indūcere. Et quamquam male gesta rēs erat — nec gestūrōs melius spērāre poterant, tamen, quia cōnsulendī rēs

1. EX OCCULTŌ, *loc. adv.* — dans l'ombre, dans le secret.
2. = *missīs hominibus quī*
3. Cf. note 1 p.76.
4. FLUITŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM — flotter, surnager, être ballotté.

nōn dabat spatium — īre obviam Sabīnī tumultuāriō[1] mīlite. Iterumque ibi fūsī, perditīs jam prope rēbus, pācem petiēre.

[38] Collātia[2], et quidquid citrā Collātiam agrī erat, Sabīnīs adēmptum ; Egērius — frātris hic fīlius erat rēgis — Collātiæ in præsidiō relictus. Dēditōsque Collātīnōs ita accipiō, eamque dēditiōnis fōrmulam esse : rēx interrogāvit :

« *Estisne vōs lēgātī ōrātōrēsque missī ā populō Collātīnō, ut vōs populumque Collātīnum dēderētis?*

— *Sumus.*

— *Estne populus Collātīnus in suā potestāte ?*

— *Est.*

— *Dēditisne vōs populumque Collātīnum, urbem, agrōs, aquam, terminōs, dēlūbra*[3]*, ūtēnsilia, dīvīna hūmānaque omnia, in meam populīque Rōmānī diciōnem ?*

— *Dēdimus.*

— *At ego recipiō.* »

Bellō Sabīnō perfectō, Tarquinius triumphāns Rōmam redit. Inde Prīscīs[4] Latīnīs bellum fēcit ; ubi nusquam ad ūniversæ reī dīmicātiōnem ventum est : ad singula oppida circumferendō arma, omne nōmen Latīnum domuit.

---

1. TUMULTUĀRIUS, -A, -UM, *adj. qual.* — enrôlé précipitamment, enrolé en hâte.

2. COLLĀTIA, -Æ, *n. f.* — Collatie, à 15 km au nord-est de Rome, aux confins du pays latin et du pays sabin. C'est de cette ville que le fils d'Egerius, Collatinus, époux de Lucrèce, tirera son *cōgnōmen* ; c'est dans cette ville qu'aura lieu le viol de Lucrèce.

3. DĒLŪBRUM, -Ī, *n. nt.* — lieu de purification, temple, sanctuaire.

4. Cf. §§ 3 & 32.

Corniculum, Fīculea vetus, Cameria, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Nōmentum[1] : hæc, dē Prīscīs Latīnīs, aut quī ad Latīnōs dēfēcerant, captā oppida. Pāx deinde est facta. Maĵōre inde animō pācis opera incohāta[2] quam quantā mōle gesserat bella — ut nōn quiētior populus domī esset quam mīlitiæ fuisset.

Nam et mūrō lapideō — cuĵus exōrdium operis Sabīnō bellō turbātum erat — urbem, quā nōndum mūnierat, cingere parat ; et īnfima urbis loca circā forum, aliāsque interjectās collibus convallēs[3] — quia ex plānīs locīs haud facile ēvehēbant aquās, cloācīs fastīgiō[4] in Tiberim ductīs — siccat ; et āream, ad ædem in Capitōliō Jovis quam vōverat bellō Sabīnō — jam præsāgiente[5] animō futūram ōlim amplitūdinem locī — occupat fundāmentīs.

Dē Serviī Tulliī orīgine

[39] Eō tempore, in rēgiā prōdigium, vīsū ēventūque mīrābile, fuit. Puerō dormientī, cui Serviō Tulliō fuit nōmen, caput ārsisse ferunt multōrum in cōnspectū ; plūrimō igitur clāmōre inde ad tantæ reī mīrāculum ortō, excitōs rēgēs[6] : et cum quīdam familiārium aquam ad restinguendum ferret, ab

---

1. Ces sept villes sont à situer entre le Tibre, l'Anio et les monts Sabins. On retrouve le nom de Nomentum dans celui de la commune de Mentana.

2. On peut sous-entendre *ab Tarquiniō*.

3. CONVALLIS, -IS, *n. f.* — vallée encaissée.

4. DŪCŌ + *abl.* — tirer à soi de.

5. PRÆSĀGĬŌ, -ĪVĪ / -ĪĪ, -ĪRE, *v. tr.* — prévoir, augurer, présager. [*præ + sāgiō*, « flairer, sentir avec précision » ; *sagāx* ; *seek* ; ἡγοῦμαι]

6. = *rēgem rēgīnamque.*

rēgīnā retentum ; sēdātōque eam tumultū movērī[1] vetuisse puerum, dōnec suā sponte experrēctus[2] esset ; mox cum somnō et flammam abīsse.

Tum abductō in sēcrētum virō, Tanaquil : « Vidēn tū puerum hunc, inquit, quem tam humilī cultū[3] ēducāmus ? Scīre licet hunc lūmen quondam rēbus nostrīs dubiīs futūrum, præsidiumque rēgiæ adflictæ ; proinde, māteriam[4] ingentis pūblicē prīvātimque decōrīs, omnī indulgentiā[5] nostrā nūtriāmus. »

Inde puerum līberum locō cœptum habērī, ērudīrīque artibus quibus ingenia ad magnæ fortūnæ cultum excitantur. Ēvenit facile quod dīs cordī esset : juvenis ēvāsit[6] vērē indolis rēgiæ ; nec, cum quærerētur gener Tarquiniō, quisquam Rōmānæ juventūtis ūllā arte cōnferrī[7] potuit : fīliamque eī suam rēx dēspondit.

Hic, quācumque dē causā, tantus illī[8] honōs habitus crēdere prohibet servā nātum eum, parvumque ipsum servīsse. Eōrum magis sententiæ sum quī, « *Corniculō captō, Ser. Tullī* — quī prīnceps in illā urbe fuerat — *gravidam virō*

---

1. ≈ *tangī.*

2. EXPERGĪSCOR, -PERRĒCTUS SUM, -GĪSCĪ *v. i.* — s'éveiller, se réveiller. [*ex+per+regō*]

3. CULTUS, -ŪS — ici, culture, mode de vie.

4. Il s'agit de Servius.

5. INDULGENTĬA, -Æ, *n. f.* —indulgence, douceur, bonté, bienveillance, complaisance. [< *indulgeō*]

6. ĒVADŌ a ici, comme souvent, la valeur d'un verbe d'état.

7. Sous-entendre *eī = juvenī.*

8. Complément de *habitus. Habēre alicui honōrem*, « accorder un honneur à quelqu'un ».

occīsō uxōrem, — cum inter reliquās captīvās cognita esset, ob ūnicam nōbilitāte — *ab rēgīnā Rōmānā prohibitam*[1]*,* ferunt, *servitiō, partum Rōmæ ēdidisse, Prīscī Tarquinī in domō ; inde tantō beneficiō*[2]*, et inter mulierēs familiāritātem auctam, et puerum* — ut in domō ā parvō ēductum — *in cāritāte atque honōre fuisse ; fortūnam mātris* — quod, captā patriā, in hostium manūs vēnerit — *ut servā nātus crēderētur fēcisse.* »

[40] Duodēquadrāgēsimō fermē annō ex quō rēgnāre cœperat Tarquinius, nōn apud rēgem modo, sed apud patrēs plēbemque, longē maximō honōre Ser. Tullius erat.

Tum, Ancī fīliī duo — etsī anteā semper prō indignissimō habuerant sē patriō rēgnō, tūtōris fraude, pulsōs, rēgnāre Rōmæ advenam, nōn modo vīcīnæ sed nē Italicæ quidem stirpis — tum[3] impēnsius[4] iīs[5] indignitās crēscere, *"sī nē ab Tarquiniō quidem ad sē redīret rēgnum, sed præceps inde porrō ad servitia caderet — ut in eādem cīvitāte post centēsimum ferē annum quam Rōmulus, deō prōgnātus deus ipse, tenuerit rēgnum dōnec in terrīs fuerit, id servus, servā nātus, possideat.*

---

1. PROHIBEŌ, *v. t.* — ici, protéger, préserver.

2. Ce *beneficium* est celui que Tanaquil accorda à la reine déchue.

3. Le balancement introduit par ce second *tum* introduit en fait une anacoluthe : il manque la principale dont *fīliī duo* serait le sujet.

4. IMPĒNSĒ, *adv.* — à grands frais, avec zèle, énergiquement ; beaucoup, fortement. [*impendō*, « dépenser »]

5. Lire ici un datif de point de vue (on pourrait suppléer *vidēbātur*) permet de mieux comprendre ce qui suit, rapporté au style indirect, et l'infinitive autour de *dēdecus fore.*

Cum commūne[1] *Rōmānī nōminis, tum præcipuē id domūs suæ dēdecus*[2] *fore, sī, Ancī rēgis virīlī stirpe salvā, nōn modo advenīs, sed servīs etiam, rēgnum Rōmæ pateret.*" Ferrō igitur eam arcēre contumēliam statuunt.

Sed et injūriæ dolor in Tarquinium ipsum, magis quam in Servium, eōs stimulābat, et quia gravior ultor cædis, sī superesset, rēx futūrus erat quam prīvātus. Tum Serviō occīsō, quemcumque alium generum dēlēgisset, eundem rēgnī hērēdem factūrus vidēbātur : ob hæc ipsī rēgī īnsidiæ parantur.

Ex pāstōribus duo ferōcissimī dēlēctī ad facinus, quibus cōnsuētī erant uterque agrestibus[3] ferrāmentīs[4], in vestibulō rēgiæ, quam potuēre tumultuōsissimē speciē rixæ[5], in sē omnēs appāritōrēs rēgiōs convertunt. Inde, cum ambō rēgem appellārent, clāmorque eōrum penitus in rēgiam pervēnisset, vocātī ad rēgem pergunt.

Prīmō, uterque vōciferārī ; et certātim alter alterī obstrepere[6]. Coercitī ab līctōre, et jussī in vicem dīcere tandem obloquī[7] dēsistunt ; ūnus rem ex compositō[8] ōrdītur. Cum

---

1. COMMŪNE, -IS, *n. nt.* — le bien commun, la communauté.

2. DĒDECUS, -ORIS, *n. nt.* — déshonneur, honte, ignominie…

3. AGRESTIS, -E, *adj. qual.* — champêtre, agreste ; grossier, inculte.

4. FERRĀMENTUM, -Ī, *n. nt.* — instrument de fer, outil en fer.

5. RIXA, -Æ, *n. f.* — dispute, rixe entre un petit nombre de personnes, par opposition à *turba.*

6. OBSTREPŌ, -IS, -ERE, -STREPUĪ, -STREPITUM, *v. i.* — faire du bruit devant, contre qqn. ; aller à l'encontre de, faire obstacle, importuner.

7. OBLOQUOR, -ERIS, -Ī, -CŪTUS SUM, *v. + dat.* — interrompre, contredire, invectiver.

8. EX COMPOSITŌ, *loc. adv.* — de façon convenable, calmement.

intentus in eum sē rēx tōtus āverteret, alter ēlatam secūrim in caput dējēcit ; relictōque in vulnere tēlō, ambō sē forās ējiciunt.

Dē Serviō Tulliō

[41] Tarquinium moribundum cum quī circā erant excēpissent, illōs fugientīs līctōrēs comprehendunt. Clāmor inde ; concursusque populī — mīrantium quid reī esset. Tanaquil inter tumultum claudī rēgiam jubet, arbitrōs ējēcit.

Simul, quæ cūrandō vulnerī opus sunt, tamquam spēs subesset, sēdulō[1] comparat ; simul, sī dēstituat spēs, alia præsidia mōlītur[2]. Serviō properē[3] accītō, cum pæne exsanguem virum ostendisset, dextram tenēns, ōrat nē inultam mortem socerī, nē socrum inimīcīs lūdibriō esse sinat.

« Tuum est, inquit, Servī, sī vir es, rēgnum, nōn eōrum quī aliēnīs manibus pessimum facinus fēcēre. Ērige tē ; deōsque ducēs sequere — quī clārum hoc fore caput, dīvīnō quondam circumfūsō ignī, portenderunt. Nunc tē illa cælestis excitet flamma ; nunc expergīscere vērē : et nōs peregrīnī rēgnāvimus. Quī sīs, nōn unde nātus sīs, reputā. Sī tua, rē subitā, cōnsilia torpent, at tū mea cōnsilia sequere. »

---

1. SĒDULŌ, *adv.* — franchement (sans tromperie), consciencieusement, de tout cœur. [*sē + dolus*]

2. MŌLIOR, -ĪRIS, -ĪRĪ, -ĪTUS SUM, v. tr. — faire effort pour remuer ou se déplacer ; peiner en vue de faire quelque chose, exécuter avec peine. Accomplir, préparer, machiner, ourdir. [*mōlēs*, masse (de pierre)]

3. PRŌPERĒ, *adv.* — à la hâte. [<*pro- + *per- « en avant » + « devant »]

Cum clāmor impetusque multitūdinis vix sustinērī posset, ex superiōre parte ædium, per fenestrās in Novam viam[1] versās — habitābat enim rēx ad Jovis Statōris[2] — populum Tanaquil adloquitur.

Jubet *bonō animō esse ; sōpītum*[3] *fuisse rēgem subitō ictū ; ferrum haud altē in corpus dēscendisse ; jam ad sē redīsse ; īnspectum vulnus abstersō*[4] *cruōre ; omnia salūbria esse ; cōnfīdere propediem*[5] *ipsum eōs vīsūrōs ; interim Ser. Tulliō jubēre populum dictō audientem*[6] *esse ; eum jūra redditūrum, obitūrumque alia rēgis mūnia esse.*

Servius cum trabeā[7] et līctōribus prōdit ; ac sēde rēgiā sedēns alia dēcernit, dē aliīs cōnsultūrum sē rēgem esse simulat. Itaque, per aliquot diēs, cum jam exspīrāsset Tarquinius, cēlātā morte, per speciem aliēnæ fungendæ vicis, suās opēs firmāvit ; tum dēmum, palam factum est, complōrātiōne in rēgiā ortā.

Servius præsidiō firmō mūnītus, prīmus injussū populī, vuluntāte patrum rēgnāvit. Ancī līberī jam tum, comprēnsīs

---

1. Cette « rue Neuve » longeait le Palatin au nord.

2. Voir le chapitre 12, où Romulus voue ce temple à Jupiter, lors de la bataille du lac Curtius.

3. SŌPIŌ, ĪS, -ĪRE, -IĪ, -ĪTUM, v. t. — assoupir, endormir. [*swep- > *sopor, somnium,* ὕπνος ; assoupir, assouvir]

4. ABS-TERGŌ, -IS, -ERE, TERSĪ, -TERSUM.

5. PROPEDIEM, *adv.* — au premier jour, bientôt, sous peu.

6. AUDIĒNS, -ENTIS (ALICUI DICTŌ), *adj.* — obéissant aux ordres, aux volontés de quelqu'un.

7. La trabée était une robe blanche bordée de larges bandes de pourpre. C'était le costume des rois qu'adoptèrent les consuls. Celle que portaient les augures était rayée de pourpre (*virgāta* ou *palmāta*).

scelerīs ministrīs — ut vīvere rēgem et tantās esse opēs Servī nūntiātum est — Suessam Pōmētiam[1] exsulātum ierant.

[42] Nec jam pūblicīs magis cōnsiliīs Servius quam prīvātīs mūnīre opēs ; et nē, quālis Ancī līberum animus adversus Tarquinium fuerat, tālis adversus sē Tarquinī līberum esset, duās fīliās juvenibus rēgiīs, Lūciō atque Arruntī Tarquiniīs, jungit. Nec rūpit tamen fātī necessitātem hūmānīs cōnsiliīs, quīn invidia rēgnī, etiam inter domesticōs, īnfīda omnia atque īnfēsta faceret.

Peropportūnē ad præsentis quiētem statūs, bellum cum Veĵentibus — jam enim indūtiæ[2] exierant — aliīsque Etrūscīs sūmptum. In eō bellō et virtūs et fortūna ēnituit[3] Tullī ; fūsōque ingentī hostium exercitū, haud dubius[4] rēx, seu patrum seu plēbis animōs perīclitārētur[5], Rōmam rediit.

---

1. *Suessa Pōmētia* était la ville la plus importante des Volsques. (Denys d'Hal., IV, 6 ; Strab., VI, p. 231; Tac., *Hist.* III. 72 ; Virg., *Æn.*, Vl, 776). Elle fut prise par Tarquin le Superbe, qui y fit un butin considérable (*Cf.* chapitre LIII), et conquise une seconde fois par les consuls Opiter Virginius et Sp. Cassius, qui la détruisirent (II, 17). Strabon prétend qu'elle existait encore de son temps, mais Pline dit (V, 5) qu'elle faisait partie des vingt-trois villes qui avaient disparu depuis longtemps de cette contrée et particulièrement des marais Pontins, *palūdēs Pomptīnæ,* auxquels elle avait donné son nom. (PLB)

2. Il s'agit du traité évoqué au § 30.

3. ĒNITEŌ, -ĒS, -ĒRE, -UĪ, *v. i.* — briller, être brillant ; paraître avec éclat, se distinguer, se signaler. [> « net, nettoyer » ; ne pas confondre ***n**i**t**eō* avec *nītor*, dont le *-ī-* s'est conservé dans « connivence ».]

4. « DUBIUS SEU » — sans inquiétude, pour le cas où…

5. PERĪCLITOR, -ĀRIS, ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. t.* — faire l'essai de, éprouver. [< *periculum*]

Adgrediturque inde ad pācīs longē maximum opus : ut quemadmodum Numa dīvīnī auctor jūris fuisset, ita *Servium conditōrem omnis in cīvitāte discrīminis ōrdinumque — quibus, inter gradūs dignitātis fortūnæque, aliquid interlūcet*[1] —, posterī fāmā ferrent.

Cēnsum enim īnstituit — rem salūberrimam tantō futūrō imperiō — ex quō bellī pācisque mūnia nōn virītim, ut ante, sed prō habitū pecūniārum fierent. Tum classēs centuriāsque, et hunc ōrdinem ex cēnsū dēscrīpsit, vel pācī decōrum vel bellō.

Dē Serviī īnstitūtiōnibus

[43] Ex iīs quī centum milium æris aut maĵōrem cēnsum habērent, octōgintā[2] cōnfēcit centuriās : quadrāgēnās[3] seniōrum ac jūniōrum. Prīma classis omnēs appellātī : seniōrēs ad urbis cūstōdiam ut præstō essent, juvenēs ut forīs bella gererent. Arma hīs imperāta : galea[4], clipeum[5], ocreæ[6],

1. INTERLUCĒRE INTER — se montrer manifestement entre, distinguer clairement.

2. LXXX.

3. QUADRĀGĒNĪ, -Æ, -A, *distrib.* — quarante chacun, chaque fois quarante.

4. GALEA, GALEÆ, *n. f.* — casque. [du grec γαλέη, « belette, peau de belette ». Il est intéressant aussi de savoir que les Grecs ont nommé γαλέος le squale, le requin, et que ce mot est à l'origine du nom « galère ». Il peut être amusant de rapprocher le terme de la famille *globus, -i, glomus, -eris…*

5. CLIPEUM/EUS, -Ī, *n. nt.* ou *m.* — bouclier rond et creux, allant du cour au mollet. [On peut faire un rapprochement évocateur avec *celō.*]

lōrīca[1], omnia ex ære — hæc ut tegumenta corporis essent — ; tēla in hostem : hastaque et gladius. Additæ huic classī duæ fabrum centuriæ, quæ sine armīs stīpendia facerent : datum mūnus ut māchinās in bellō ferrent.

Secunda classis intrā centum usque ad quīnque et septuāgintā milium cēnsum īnstitūta ; et ex iīs, seniōribus jūniōribusque, vīgintī cōnscrīptæ centuriæ. Arma imperāta : scūtum prō clipeō, et, præter lōrīcam, omnia eadem.

Tertiæ classis in quīnquāgintā milium cēnsum esse voluit. Totidem centuriæ, et hæ eōdemque discrīmine ætātium[2] factæ ; nec dē armīs quicquam mūtātum, ocreæ tantum adēmptæ. In quārtā classe cēnsus quīnque et vīgintī mīlium : totidem centuriæ factæ ; arma mūtāta : nihil præter hastam et verūtum[3] datum.

Quīnta classis aucta : centuriæ trīgintā factæ. Fundās[4] lapidēsque missilēs hī sēcum gerēbant. In hīs, accēnsī[5] cornicinēs[6] tubicinēsque[7], in duās centuriās distribūtī. Ūndecim mīlibus hæc classis cēnsēbātur. Hōc minor cēnsus

---

6. OCREÆ, -ĀRUM, *n. f. pl.* — jambières. [On a pu rapprocher le mot de *ocris*, « crête, escarpement ».]

1. LŌRĪCA, -Æ, *n. f.* — cuirasse, corselet, cotte de mailles, haubert. [*lōrum*, « courroie, lanière de cuir »?]

2. = *ætātum.*

3. VERŪTUM, -Ī, *n. nt.* — dard, javeline (arme de trait).

4. FUNDA, -Æ, *n. f.* — fronde. [σφενδόνη, même sens < ? *b^{h}end^{h}, attacher, lier > *bind*, *bend,* bandana, bande, bander]

5. accēnseō, -ēs, -ēre, uī, -sum, *v. t.* — mettre au nombre de, rattacher.

6. CORNICEN, -INIS, n. m. — sonneur de cor (instrument courbe qui fait penser à une corne). [*cornū* + *canō*].

7. TUBICEN, -INIS, *n. m.* — trompette, celui qui sonne de la trompette (instrument dont le tube est droit). [*tuba* < *tubus*]

reliquam multitūdinem habuit ; inde ūna centuria facta est, immūnis mīlitiā.

Ita pedestrī exercitū ōrnātō distribūtōque, equitum, ex prīmōribus cīvitātis, duodecim scrīpsit centuriās. Sex item aliās centuriās — tribūs ab Rōmulō[1] īnstitūtīs — sub iīsdem quibus inaugurātæ[2] erant nōminibus fēcit. Ad equōs emendōs, dēna mīlia æris ex pūblicō data ; et, quibus equōs alerent, viduæ attribūtæ[3], quæ bīna milia æris in annōs singulōs penderent.

Hæc omnia in dītēs ā pauperibus inclīnāta onera ; deinde est honōs additus. Nōn enim, ut ab Rōmulō trāditum cēterī servāverant rēgēs, virītim suffrāgium, eādem vī eōdemque jūre, prōmiscē[4] omnibus datum est.

Sed gradūs factī, ut neque exclūsus quisquam suffrāgiō vidērētur, et vīs omnis penes[5] prīmōrēs cīvitātis esset : equitēs enim vocābantur[6] prīmī, octōgintā inde prīmæ classis

---

1. Cf. § 13.

2. Cf. § 36, qui raconte comment Tarquin l'Ancien leur attribua leurs noms.

3. Dans la langue du droit, on dit « *attribuere aliquem alicuĵus reī* ». Celui qui est frappé par l'impôt est *attribūtus*.

4. PRŌMISCE / PRŌMISCUĒ, *adv.* — en commun, indistinctement, pêle-mêle. [*misceō*]

5. PENES, *prép. + acc.* — en la possession de, entre les mains de, au pouvoir de. [*penus*, « partie intérieure de la maison », d'où « provision de boche, garde-manger ». *Penes* est un locatif sans désinence au sens de « chez, à l'intérieur de » ; d'où le sens de la préposition. Cf. *penitus, Penātēs*.]

6. *ad suffrāgium*. Les centuries de cavaliers sont, d'après le paragraphe précédent, au nombre de douze plus six.

centuriæ, ibi sī variāret[1] — quod rārō incidēbat — secundæ classis[2] ; nec ferē unquam īnfrā ita dēscenderunt ut ad īnfimōs pervenīrent.

Nec mīrārī oportet hunc ōrdinem quī nunc est — post explētās[3] quīnque et trīgintā tribūs, duplicātō eārum[4] numerō, centuriīs jūniōrum seniōrumque — ad īnstitūtam ab Ser. Tulliō summam nōn convenīre.

Quadrifāriam[5] enim urbe dīvīsā, regiōnibus collibusque quī habitābantur, partēs eās *tribūs* appellāvit — ut ego arbitror, ab *tribūtō* : nam eĵus[6] quoque æquāliter ex cēnsū cōnferendī ab eōdem inita ratiō est. Neque eæ tribūs ad centuriārum distribūtiōnem numerumque quicquam pertinuēre.

---

1. VARIŌ, -ĀS, -ĀRE, ĀVĪ, ĀTUM — changer, varier ; ou être variés, différer.

2. Vingt centuries pour la 2de classe, autant pour la 3e et la 4e, et trente pour la 5e.

3. Passage difficile. Comprendre, comme « *ab urbe conditā* » signifie « depuis la fondation de la ville » (règle *Sicilia amissa*), que « *post expletās tribūs...* » signifie « après que les tribus eurent été complétées », c'est-à-dire quand elles eurent passé à la fin de la 1re guerre punique, entre 241 et 218 au nombre de 35, alors que chacune des cinq classes était représentée dans chaque tribu par une centurie de *jūniōrēs* et une centurie de *seniōrēs*. *Cf.* la note très complète dans Heurgon (1963) pour expliciter le très complexe calcul des suffrages à la fin de la république.

4. Il faut sans doute lire ici un pronom cataphorique, qui se réfère à *centuriīs* plutôt qu'à *tribūs*.

5. QUADRIFĀRIAM, *adv.* — en quatre parts.

6. EĴUS se rapporte à *tribūtō*. TRIBŪTUM CONFERRE — payer l'impôt : *ratiō tribūtī conferendī* = méthode de calcul du paiement de l'impôt.

[44] Cēnsū perfectō — quem mātūrāverat[1] metū lēgis dē incēnsīs[2] lātæ, cum vinculōrum minīs mortisque —, ēdīxit ut omnēs cīvēs Rōmānī, equitēs peditēsque, in suīs quisque centuriīs, in campō Mārtiō prīmā lūce adessent.

Ibi īnstrūctum, exercitum omnem suovetaurīlibus[3] lūstrāvit[4] ; idque « conditum[5] lūstrum » appellātum, quia is cēnsendō fīnis factus est. Mīlia octōgintā, eō lustrō, cīvium cēnsa dīcuntur ; adjicit scrīptōrum antīquissimus Fabius Pictor[6], *eōrum quī arma ferre possent eum numerum fuisse.*

Ad eam multitūdinem, urbs quoque amplificanda vīsa est : addit duōs collēs, Quirīnālem Vīminālemque ; inde deinceps

---

1. MĀTŪRŌ, -ĀS… , *v. t.* — faire mûrir, hâter, accélérer. [*mānis* (arch.), « bon » ; *māne*, « de bonne heure », *immānis*, *Mānēs*]

2. INCĒNSUS, -A, -UM, *adj. qual.* — non recensé.

3. SUOVETAURĪLIA, IUM, *n. nt.* , suovétaurilies, sacrifice purificateur d'une truie, d'une brebis et d'un taureau dans les lustrations [*sūs+ovis+taurus*].

4. LŪSTRŌ, -ĀS… *v. t.* — ici, purifier ; d'où passer en revue, puis parcourir (des yeux). [*lūstrum*, espace de cinq ans, entre deux purifications rituelles ; rapprochements hypothétiques avec *lūx* ; *lavō* ; *luō* = λύω.]

5. CONDŌ signifie « enfermer, ensevelir », d'où « terminer ».

6. Q. FABIUS PICTOR est le premier historien latin connu, fondateur de l'annalistique romaine ; il vécut à la fin du III[e] siècle. Tite-Live, a beaucoup fait usage de Fabius Pictor, en particulier dans l'histoire antérieure à la fondation de Rome; c'est du moins ce qu'on peut conclure d'un long fragment de cet auteur conservé par Eusèbe dans sa *Chronologie* (t. I, p.587 et suiv. de l'éd. d'Aucher), où l'on retrouve sur les Troyens, sur Énée, sur la suite des rois albains, des notions conformes au texte de Tite-Live, quoique plus étendues, mais entièrement différentes du récit de Denys et des autres historiens. Ils se rencontrent encore en ce point que Tite-Live voit comme lui dans le miracle des trente marcassins l'indication, non de trente colonies, mais de trente années, interprétation déjà adoptées du temps de Ptolémée Philadelphe par Lycophron (Cassandr. 1235) et par plusieurs Romains. [PLB]

auget[1] Ēsquiliās ; ibique ipse, ut locō dignitās fieret, habitat. Aggere et fossīs et mūrō circumdat urbem ; ita pōmērium prōfert.

Pōmērium, verbī vim sōlam intuentēs, *postmœrium* interpretantur esse ; est autem magis *circāmœrium*, locus quem, in condendīs urbibus, quondam Etrūscī — quā mūrum ductūrī erant, certīs circā terminīs — inaugurātō cōnsecrābant, ut neque, interiōre parte, ædificia mœnibus continuārentur — quæ nunc vulgō etiam conjungunt — et, extrīnsecus[2], pūrī aliquid ab hūmānō cultū pateret solī.

Hoc spatium, quod neque habitārī neque arārī fās erat — nōn magis quod post mūrum esset quam quod mūrus post id — *pōmērium* Rōmānī appellārunt ; et in urbis incrēmentō, semper quantum mœnia prōcessūra erant, tantum terminī hī cōnsecrātī prōferēbantur.

[45] Auctā cīvitāte magnitūdine urbis, fōrmātīs omnibus domī et ad bellī et ad pācis ūsūs, nē semper armīs opēs adquīrerentur, cōnsiliō augēre imperium cōnātus est, simul et aliquod addere urbī decus.

1. *Augeō* est pris ici dans le sens de « donner de l'importance. Voir l'étymologie varronienne de *Esquiliæ :: « ab eō quod excultāe ā rēge Tulliō essent.* » (*L.L.*, V, 49, 1).

2. EXTRĪNSECUS, adv. — du dehors, au dehors.

Jam tum erat inclitum Diānæ Ephesiæ[1] fānum ; id commūniter ā cīvitātibus Asiæ factum fāma ferēbat. Eum cōnsēnsum, deōsque cōnsociātōs, laudāre mīrē Servius inter procerēs Latīnōrum — cum quibus, pūblicē prīvātimque, hospitia amīcitiāsque dē industriā[2] jūnxerat.

Sæpe iterandō eadem, perpulit tandem ut, Rōmæ, fānum Diānæ populī Latīnī, cum populō Rōmānō, facerent. Ea erat cōnfessiō[3] caput rērum Rōmam esse — dē quō totiēns armīs certātum fuerat. Id quamquam omissum jam[4] ex omnium cūrā Latīnōrum — ob rem totiēns īnfēlīciter temptātam armīs — vidēbātur, ūnī sē ex Sabīnīs fors dare vīsa est, prīvātō cōnsiliō[5], imperiī reciperandī.

Bōs in Sabīnīs nāta, cuĭdam patrī familiæ, dīcitur mīrandā magnitūdine ac speciē — fīxa per multās ætātēs cornua in vestibulō templī Diānæ, monumentum eī fuēre mīrāculō.

Habita, ut erat[6], rēs prōdigiī locō est, et cecinēre vātēs *cuĭus cīvitātis eam cīvis Diānæ immolāsset, ibi fore imperium.* Idque carmen pervēnerat ad antistitem fānī Diānæ ;

---

1. L'Artémision d'Éphèse ne fut achevé qu'entre les olympiades XC et C (Ch. Ottfr. Müller, *Archæologie der Kunst*, § 80, 1, p. 57, éd. II). Or, Pline (XXXVI, 22) nous apprend qu'il fallut 220 ans pour le construire ; ce qui placerait l'époque de sa fondation entre 640 et 600 avant J.-C.; il n'y aurait donc rien d'étonnant que sous le règne de Servius (577 à 532), cet édifice eût été assez avancé pour que sa renommée fût parvenue jusqu'à Rome. (PLB)

2. DĒ INDUSTRIĀ, *loc. adv.* — volontairement, délibérément.

3. CŌNFESSIŌ, -ŌNIS, *n. f.* — aveu, confession, reconnaissance. [*cōnfiteor*]

4. Tite-Live se place quelque temps après la construction de ce temple.

5. Dans le sens de décision, mesure, action.

6. = *ut erat vērē.*

Sabīnusque — ut prīma apta diēs sacrificiō vīsa est — bovem, Rōmam actam, dēdūcit ad fānum Diānæ ; et ante āram statuit.

Ibi antistes Rōmānus, cum eum magnitūdō victimæ, celebrāta fāmā mōvisset, memor respōnsī[1] Sabīnum, ita adloquitur : « Quidnam tū, hospes, parās ? inquit, īncestē sacrificium Diānæ facere ? Quīn tū ante vīvō perfunderis flūmine ? Īnfimā valle præfluit Tiberis. »

Religiōne tāctus hospes — quī omnia, ut prōdigiō respondēret ēventus, cuperet rītē facta — extemplō dēscendit ad Tiberim ; intereā Rōmānus immolat Diānæ bovem. Id mīrē grātum rēgī atque cīvitātī fuit.

Quomodo Servius turpe ēversus sit

[46] Servius, quamquam jam ūsū haud dubiē rēgnum possēderat, tamen quia interdum jactārī vōcēs ā juvene Tarquiniō audiēbat *sē injussū populī rēgnāre*, conciliātā prius voluntāte plēbis, agrō captō ex hostibus virītim dīvīsō, ausus est ferre ad populum *vellent jubērentne sē rēgnāre.* Tantōque cōnsēnsū, quantō haud quisquam alius ante, rēx est dēclārātus.

Neque ea rēs Tarquiniō spem adfectandī rēgnī minuit. Immō eō impēnsius — quia dē agrō plēbis adversā patrum voluntāte sēnserat agī — crīminandī Servī apud patrēs, [2]crēscendīque in cūriā, sibi occāsiōnem datam ratus est — et

1. RESPŌNSUM, -Ī — il s'agit de la réponse oraculaire des *vātēs* évoqués un peu plus haut.

2. Dans le sens de « prendre de l'importance » ; c'est de Tarquin qu'il s'agit.

ipse juvenis ārdentis animī, et domī, uxōre Tulliā inquiētum animum stimulante.

Tulit enim et[1] Rōmāna rēgia sceleris tragicī exemplum — ut tædiō rēgum, mātūrior venīret lībertās, ultimumque rēgnum esset quod scelere partum foret. Hic L. Tarquinius — Prīscī Tarquinī rēgis fīlius, nepōsne, fuerit parum liquet[2] ; plūribus tamen auctōribus fīlium ēdiderim — frātrem habuerat Arruntem Tarquinium, mītis ingeniī juvenem.

Hīs duōbus, ut ante dictum est, duæ Tulliæ rēgis fīliæ nūpserant — et ipsæ longē disparēs mōribus. Forte ita inciderat — nē duo violenta ingenia mātrimōniō jungerentur — fortūna, crēdō, populī Rōmānī : quō diūturnius Servī rēgnum esset, cōnstituīque cīvitātis mōrēs possent.

Angēbātur ferōx Tullia nihil māteriæ in virō, neque ad cupiditātem neque ad audāciam, esse. Tōta in alterum āversa Tarquinium, eum mīrārī, eum virum dīcere, ac rēgiō sanguine ortum : spernere sorōrem, quod virum nacta muliebrī cessāret[3] audāciā. Contrahit celeriter similitūdō eōs, ut ferē

---

1. Il faut rapprocher ce *et* adverbial de l'adjectif *tragicus* : comme dans la tragédie grecque, le palais royal est le lieu de crimes horribles. On peut supposer que Tite-Live fait ici allusion au succès du *Thyeste* de Varius en 29. [Dans ce cas, ce passage aurait été ajouté dans la seconde édition du livre I, vers 26.]

2. LIQUEŌ, -ĒS, -ĒRE, -QUĪ, *v. i.* et *impers.* — être liquide, clair, limpide, manifeste. [*līquor*]

3. CESSŌ, -ĀS… *v. i.* — tarder, se montrer lent, lambiner ; ne rien faire, ne pas agir, suspendre son activité. [fréquentatif de *cēdō*].

Le sens de l'ablatif « *muliebrī audāciā* » est difficile à saisir. On le considère généralement comme un objet (d'où l'action qui tarde s'éloigne) : Tullia l'aînée n'aurait pas l'audace proprement féminine. Nous nous demandons si l'on ne pourrait pas lire ici un ablatif de cause ou de

fit : malum mālō aptissimum ; sed initium turbandī omnia ā fēminā ortum est.

Ea, sēcrētīs virī aliēnī adsuēfacta sermōnibus, nūllīs verbōrum contumēliīs parcere, dē virō ad frātrem, dē sorōre ad virum. Et *sē rēctius viduam*[1] *et illum cælibem*[2] *futūrum fuisse* contendere, *quam cum imparī jungī, ut ēlanguēscendum aliēnā ignāviā*[3] *esset* ; *sī sibi, eum quō digna esset, dī dedissent virum, domī sē propediem vīsūram rēgnum fuisse — quod apud patrem videat.*

Celeriter adulēscentem suæ temeritātis implet : Arrūns[4] Tarquinius et Tullia minor prope continuātīs fūneribus, cum domōs vacuās novō mātrimōniō fēcissent, junguntur nūptiīs — magis nōn prohibente Serviō quam adprobante.

[47] Tum vērō in diēs īnfēstior Tullī senectus, īnfēstius cœpit rēgnum esse ; jam enim ab scelere ad aliud spectāre mulier scelus. Nec nocte, nec interdiū[5], virum conquiēscere patī, nē grātuīta præterita parricīdia essent : *nōn sibi dēfuisse cui nūpta dīcerētur, nec cum quō tacita servīret ; dēfuisse quī sē rēgnō dignum putāret, quī meminisset sē esse Prīscī Tarquinī fīlium, quī habēre, quam spērāre rēgnum, māllet.*

---

manière : « *muliebris* », face à « *vir* » serait à lire péjorativement.

1. VIDUA, -Æ, *n. f.* — veuve. [*wide*, *wood* ; *dīvidō, vītō* ? ≠ vide < *vacuus*]

2. CÆLEBS, -IBIS, *adj. qual.* — célibataire.

3. IGNĀVIA, -Æ, *n. f.* — inaction, apathie, mollesse, paresse. [*gnāvus*, « diligent, apathique, zélé ». <> *ignōtus, ignārus*…]

4. On considère généralement qu'il faut lire « *Lūcius* », parce que Tite-Live aurait commis une erreur d'inattention.

5. INTERDIŪ, *adv.* — de jour.

« Sī tū is es cu̯i nūptam esse mē arbitror, et virum et rēgem appellō ; sīn minus, eō nunc pe̯ius mūtāta rēs est : quod istīc[1] cum ignāviā est scelus. Quīn accingeris[2] ?

Nōn tibi ab Corinthō nec ab Tarquiniīs, ut patrī tuō, peregrīna[3] rēgna mōlīrī necesse est : dī tē penātēs patriīque, et patris imāgō[4], et domus rēgia, et in domō rēgāle solium[5], et nōmen Tarquinium, creat vocatque rēgem.

Aut sī ad hæc parum est animī, quid frūstrārīs[6] cīvitātem ? quid tē ut rēgium juvenem cōnspicī sinis ? Facesse[7] hinc Tarquiniōs aut Corinthum ; dēvolvere retrō ad stirpem, frātrī similior quam patrī. »

Hīs aliīsque increpandō, juvenem īnstīgat[8] ; nec conquiēscere ipsa potest sī — cum Tanaquil, peregrīna mulier, tantum mōlīrī potuisset animō ut duo continua rēgna virō, ac

---

1. On peut entendre *istī reī*, ou, éventuellement *istō reī.*

2. ACCINGOR, -ERIS, -Ī, CĪNCTUS SUM, *pass. de sens réfléchi* — se ceindre (pour porter les armes), se préparer, s'armer. [*accingō* < *cingō*]

3. PEREGRĪNUS, -A, -UM, *adj. qual.* — de l'étranger, étranger, pérégrin. [*per+ager*]

4. Au sens de « noblesse » ; Tullia fait allusion au *jūs imāginum*, droit qu'ont les nobles de présenter dans leur atrium les masques mortuaires de leurs ancêtres.

5. SOLIUM, -Ī, *n. nt.* — siège, trône ; baignoire, sarcophage. [*sedeō*]

6. FRŪSTROR, -ĀRIS, -ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. t.* — tromper, abuser, décevoir. [*fraus, dream*]

7. FACESSŌ, -IS, -ERE, -Ī, -ĪTUM — ici, s'en aller.

8. ĪNSTĪGŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM ou ĪNSTĪNCTUS…, *v. t.* — exciter, stimuler. [*distingō, stilus*, στίζω ; ang. *stick, to stitch, (sting ?)* ; (du frq.) étiquette > ticket ; instigation, instinct, distinct]

deinceps generō, dedisset — ipsa, rēgiō sēmine orta, nūllum mōmentum[1] in dandō adimendōque rēgnō faceret.

Hīs muliebribus īnstīnctus furiīs, Tarquinius circumīre et prēnsāre[2] minōrum maximē gentium[3] patrēs ; admonēre[4] paternī beneficiī, ac prō eō grātiam repetere ; allicere[5] dōnīs juvenēs ; cum dē sē ingentia pollicendō, tum rēgis crīminibus, omnibus locīs crēscere.

Postrēmō ut jam agendæ reī tempus vīsum est, stīpātus[6] agmine armātōrum, in forum inrūpit. Inde omnibus perculsīs[7] pavōre, in rēgiā sēde prō cūriā sedēns, patrēs in cūriam per præcōnem ad rēgem Tarquinium citārī jussit.

Convēnēre extemplō, aliī jam ante ad hoc præparātī, aliī metū nē nōn vēnisse fraudī esset, novitāte ac mīrāculō attonitī, et jam dē Serviō āctum ratī. Ibi Tarquinius maledicta ab stirpe ultimā ōrsus[8] :

---

1. MŌMENTUM, Ī, *n. nt.* — mouvement, impulsion ; influence, poids, importance ; durée d'un mouvement, moment, instant. [**movimentum*, *moveō*]

2. PREHĒNSŌ/PRĒNSŌ, -ĀS…, *v. t.* — chercher à saisir (par des mouvements répétés) ; prendre par le bras pour solliciter ; solliciter, presser, implorer.

3. Pour les *minōrēs gentēs,* voir le § 35.

4. ADMONĒRE *aliquem alicuĵus reī.*

5. ALLICIŌ, -IS, -ERE, -LĒXĪ, -LECTUM, v. t. — attirer à soi. [*ad+*laciō, laqueus, lacessō, ēliciō, (dēliciæ ?)* ; lacs, lacet, entrelacs])

6. STĪPŌ, -ĀS…, *v. t.* — entasser, serrer autour. [*stīpēs*, ang. *stiff*]

7. PERCELLŌ, -IS, -ERE, -CŬLĪ, -CULSUM, *v. t.* — culbuter, renverser, abattre, terrasser ; frapper, heurter ; secouer, ébranler, bouleverser ; pousser à. [*clādes, clāva, gladium*, κλάω, колóть]

8. ORDIOR, -ĪRIS, -ĪRĪ, ORSUS SUM, *v. t.* — ourdir, faire une trame ; commencer. [ourdir, exorde, primordial]

« *Servum, servāque nātum, post mortem indignam parentis suī — nōn interrēgnō, ut anteā, initō, nōn comitiīs habitīs, nōn per suffrāgium populī, nōn auctōribus patribus — muliebrī dōnō rēgnum occupāsse.*

Ita nātum, ita creātum rēgem, fautōrem[1] *īnfimī generis hominum ex quō ipse sit, odiō aliēnæ honestātis, ēreptum prīmōribus agrum, sordidissimō cuique dīvīsisse ! Omnia onera quæ commūnia quondam fuerint, inclīnāsse in prīmōrēs cīvitātis ! Īnstituisse cēnsum ut īnsignis ad invidiam locuplētiōrum*[2] *fortūna esset, et parāta unde, ubi vellet, egentissimīs*[3] *largīrētur*[4]*.*

[48] Huic ōrātiōnī Servius cum intervēnisset, trepidō nūntiō excitātus, extemplō ā vestibulō[5] cūriæ, magnā vōce : « Quid hoc, inquit, Tarquinī, reī est ? Quā tū audācia, mē vīvō, vocāre ausus es patrēs, aut in sēde cōnsīdere meā ? »

Cum ille ferōciter ad hæc « *sē patris suī tenēre sēdem ; multō quam servum potiōrem, fīlium rēgis rēgnī hērēdem; satis illum diū per licentiam ēlūdentem īnsultāsse dominīs* », clāmor ab utrīusque fautōribus oritur ; et concursus populī fīēbat in cūriam — appārēbatque rēgnātūrum quī vīcisset.

---

1. FAUTOR, -ŌRIS, *n. m.* — [*faveō*]

2. LOCUPLĒS, -ĒTIS, *adj. qual.* — riche en terres, riche. [*locus+pleō*]

3. EGEŌ, -ĒS, -ĒRE, -UĪ, *v. i. + abl.* — être pauvre, dans le besoin ; avoir besoin de, manquer de. [>indigent]

4. LARGIOR, -ĪRIS, ĪRĪ, LARGĪTUS SUM, *v. t.* — donner, accorder largement, généreusement. [<largus, « abondant, copieux, généreux »]

5. VESTIBULUM, -Ī, *n. nt* — vestibule, entrée [*vestis,* ou *vescor,* « se nourrir » *+ -bulu-*, ancienne désinence d'instrumental ?]

Tum Tarquinius, necessitāte jam et ipsā cōgente ultima audēre, multō et ætāte et vīribus validior, medium arripit Servium ; ēlātumque ē cūriā, in īnferiōrem partem per gradūs dējēcit ; inde ad cōgendum senātum in cūriam rediit.

Fit fuga rēgis, appāritōrum atque comitum ; ipse, prope exsanguis, cum sine rēgiō comitātū domum sē reciperet, ab iīs quī, missī ab Tarquiniō, fugientem cōnsecūtī erant, interficitur. Crēditur, quia nōn abhorret[1] ā cēterō scelere, admonitū Tulliæ id factum. Carpentō[2] certē — id quod satis cōnstat — in forum invecta, nec reverita cœtum[3] virōrum, ēvocāvit virum ē cūriā ; rēgemque prīma appellāvit.

Ā quō facessere jussa ex tantō tumultū, cum sē domum reciperet — pervēnissetque ad summum Cyprium[4] vīcum, ubi Diānium nūper fuit — flectentī[5] carpentum dextrā in Urbium clīvum, ut in collem Ēsquiliārum ēveherētur, restitit pavidus, atque inhibuit frēnōs is quī jūmenta agēbat ; jacentemque dominæ Servium trucīdātum[6] ostendit.

Fœdum inhūmānumque inde trāditur scelus : monumentōque locus est — Scelerātum vīcum vocant — quō

---

1. ABHORREŌ, -ĒS, ĒRE, -UĪ, *v. i. + (ab) abl.* ou *v. t.* — s'éloigner avec effroi de qqch. ; éprouver de l'horreur, de l'aversion pour qqch. [*horror, hordeum* > orge ; < **gʰers,* « dressé, raide, surpris »]

2. CARPENTUM, -Ī, *n. nt.* — voiture à deux roues munie d'une capote, char, carrosse. [du gaulois **carbantos*]

3. CŒTUS, -ŪS, *n. m.* — rencontre, réunion, assemblée, cabale. [*coeō*]

4. Non loin du poteau de la Sœur et des Esquilies. Voyez Varron, L., IV, 52 ; Donat, *de Urb. Rom.*, III, y ; Nardini, III,15. (note de l'éd. Nisard)

5. Se rapporte à *dominæ.*

6. TRUCĪDŌ, -ĀS, -ĀRE, -ĀVĪ, -ĀTUM , *v. t.* — égorger, massacrer, tuer, écraser, étouffer. [*trux*, « farouche, sauvage » + *cædō*]

āmēns, agitantibus furiīs sorōris ac virī, Tullia per patris corpus carpentum ēgisse fertur ; partemque sanguinis ac cædis paternæ, cruentō vehiculō, contāminātā ipsā respersāque, tulisse ad penātēs suōs virīque suī — quibus īrātīs, malō rēgnī prīncipiō similēs propediem exitūs sequerentur.

Ser. Tullius rēgnāvit annōs quattuor et quadrāgintā, ita ut, bonō etiam moderātōque succēdentī rēgī, difficilis æmulātiō esse. Cēterum id quoque ad glōriam accessit : quod cum illō simul jūsta ac lēgitima rēgna occiderunt. *Id ipsum tam mīte ac tam moderātum imperium tamen, quia ūnīus esset, dēpōnere eum in animō habuisse* quīdam auctōrēs sunt — nī scelus intestīnum, līberandæ patriæ cōnsilia agitantī, intervēnisset.

Dē Tarquiniō Superbō

[49] Inde L. Tarquinius rēgnāre occēpit, cui Superbō cognōmen facta indiderunt, quia socerum gener sepultūra prohibuit — *Rōmulum quoque īnsepultum perisse* dictitāns.

Prīmōrēsque patrum, quōs Servī rēbus fāvisse crēdēbat, interfēcit ; cōnscius deinde male quærendī rēgnī ab sē ipsō adversus sē exemplum capī posse, armātīs corpus circumsæpsit ; neque enim ad jūs rēgnī quicquam, præter vim, habēbat, ut quī neque populī jussū, neque auctōribus patribus rēgnāret.

Eō accēdēbat ut, in cāritāte cīvium nihil speī repōnentī, metū rēgnum tūtandum esset. Quem[1] ut plūribus incuteret, cognitiōnēs[2] capitālium rērum sine cōnsiliīs, per sē sōlus, exercēbat. Perque eam causam occīdere, in exsilium agere, bonīs multāre poterat nōn suspectōs modo, aut invīsōs, sed unde nihil aliud quam prædam spērāre posset.

Præcipuē ita patrum numerō imminūtō statuit nūllōs in patrēs legere — quō contemptior paucitāte ipsā ōrdō esset, minusque per sē nihil agī indignārentur. Hic enim, rēgum prīmus, trāditum ā priōribus mōrem dē omnibus senātum cōnsulendī solvit — domesticīs cōnsiliīs rem pūblicam administrāvit : bellum, pācem, fœdera, societātēs, per sē ipse, cum quibus voluit, injussū populī ac senātūs, fēcit dirēmitque.

Latīnōrum sibi maximē gentem conciliābat, ut peregrīnīs quoque opibus tūtior inter cīvēs esset ; neque hospitia[3] modo cum prīmōribus eōrum, sed adfīnitātēs[4] quoque jungēbat. Octāviō Mamiliō[5] Tusculānō — is longē prīnceps Latīnī nōminis[6] erat, sī fāmæ crēdimus, ab Ulixe deāque Circā oriundus —, eī Mamiliō, fīliam nūptum dat ; perque eās nūptiās, multōs sibi cognātōs amīcōsque ejus conciliat.

---

1. « *Quem* » renvoie à *metū.*

2. COGNITIŌ, -ŌNIS, *n. f.* —ici, « enquête, instruction ».

3. HOSPITIUM, -IĪ, *n. nt.* — hospitalité, action de recevoir comme hôte ; rapports entre les hôtes, liens de l'hospitalité. [*hospes*]

4. ADFĪNITĀS, -ĀTIS, *n. f.* —voisinage ; parenté par alliance.

5. Plus ancien membre « historique » connu de la *gens Mamilia*, qui a fourni de nombreux consuls à la république. Son ancêtre légendaire, Mamilius, petit-fils d'Ulysse et de Circé, est censé avoir fondé Tusculum.

6. Métonymie pour « puissance latine, nation latine… »

[50] Jam magna Tarquinī auctōritās inter Latīnōrum procerēs erat, cum, in diem certam, ut ad lūcum Ferentīnæ[1] conveniant indīcit : "*esse*[2] *quæ agere dē rēbus commūnibus velit*". Conveniunt frequentēs prīmā lūce ; ipse Tarquinius diem quidem servāvit, sed paulō ante quam sōl occideret vēnit.

Multa ibi, tōtō diē in conciliō, variīs jactāta sermōnibus erant. Turnus Herdonius ab Arīciā[3] ferōciter in absentem Tarquinium erat invectus :

"*Haud mīrum esse Superbō inditum Rōmæ cognōmen — jam enim ita, clam quidem mussitantēs*[4]*, vulgō tamen, eum appellābant — an quicquam superbius esse quam lūdificārī sīc omne nōmen Latīnum ? Longē ab domō excitīs, ipsum, quī concilium indīxerit, nōn adesse ! Temptārī profectō patientiam ut, sī jugum accēperint, obnoxiōs*[5] *premat.*

"*Cui enim nōn appārēre adfectāre eum imperium in Latīnōs ? Quod sī suī bene*[6] *crēdiderint cīvēs, aut sī crēditum illud et nōn raptum parricīdiō sit, crēdere et Latīnōs, quamquam*

1. La nymphe Férentina, patronne de Ferentinum. Le *lūcus Ferentīnæ* était le sanctuaire fédéral des Latins.

2. *esse quæ* = « sunt quæ », au discours indirect.

3. Aricie, dans le Latium.

4. MUSSITŌ, -ĀS, -ĀRE… — marmonner, murmurer, supporter en silence.

5. OBNOXIUS, -A, -UM, *adj. qual. + dat.*— soumis à qqn, redevable à qqn pour une faute, assujetti à ; exposé à (qqch. de fâcheux, de mauvais). [*noxa* (<*noceō*), « tort, préjudice, dommage »]

6. Autrement dit, si ses concitoyens lui ont accordé une bonne confiance.

nē sīc quidem aliēnigenæ[1]*, dēbēre : sīn suōs eĵus pæniteat — quippe quī aliī super aliōs trucīdentur, exsulātum eant, bona āmittant — quid speī meliōris Latīnīs portendī ?*

"*Sī sē audiant, domum suam quemque inde abitūrōs ; neque magis observātūrōs diem conciliī quam ipse quī indīxerit observet.*"

Hæc, atque alia eōdem pertinentia, sēditiōsus facinorōsusque homō — hīsque artibus opēs domī nactus — cum maximē dissereret, intervēnit Tarquinius. Is fīnis ōrātiōnī fuit : āversī omnēs ad Tarquinium salūtandum.

Quī, silentiō factō, monitus ā proximīs ut pūrgāret sē quod id temporis vēnisset, "*disceptātōrem*[2], ait, *sē sūmptum inter patrem et fīlium : cūrā reconciliandī eōs in grātiam morātum esse ; et quia ea rēs exēmisset illum diem, posterō diē āctūrum quæ cōnstituisset.*"

Nē id quidem ab Turnō tulisse tacitum ferunt ; dīxisse enim "*nūllam breviōrem esse cognitiōnem quam inter patrem et fīlium ; paucīsque trānsigī verbīs posse : nī pāreat patrī, habitūrum īnfortūnium esse.*"

[51] Hæc Arīcīnus in rēgem Rōmānum increpāns, ex conciliō abiit. Quam rem Tarquinius aliquantō quam vidēbātur ægrius ferēns, cōnfestim Turnō necem māchinātur — ut eundem terrōrem, quō cīvium animōs domī oppresserat, Latīnīs injiceret.

---

1. ALIĒNIGENA, -Æ, *n. m.* — né dans un autre pays, étranger.
2. DISCEPTĀTOR, -ŌRIS, *n. m.* — celui qui décide, arbitre, juge.[*dis- captō*]

Et quia prō imperiō palam interficī nōn poterat, oblātō falsō crīmine, īnsontem[1] oppressit. Per adversæ factiōnis quōsdam Arīcīnōs, servum Turnī aurō corrūpit, ut in dēversōrium eĵus vim magnam gladiōrum īnferrī clam sineret.

Ea cum ūnā nocte perfecta essent, Tarquinius paulō ante lūcem, accītīs ad sē prīncipibus Latīnōrum, quasi rē novā perturbātus : « *moram suam hesternam, velut deōrum quādam prōvidentiā inlātam, ait, salūtī sibi atque illīs fuisse.*

« *Ab Turnō*[2] *dīcī sibi et prīmōribus populōrum parārī necem, ut Latīnōrum sōlus imperium teneat. Adgressūrum fuisse hesternō diē in conciliō ; dilātam rem esse, quod auctor conciliī āfuerit — quem maximē peteret. Inde illam absentis īnsectātiōnem*[3] *esse nātam, quod morandō spem dēstituerit.*

« *Nōn dubitāre, sī vēra dēferantur, quīn prīmā lūce, ubi ventum in concilium sit, īnstrūctus cum conjūrātōrum manū armātusque ventūrus sit : dīcī gladiōrum ingentem esse numerum ad eum convectum. Id vānum necne sit, extemplō scīrī posse : rogāre eōs ut inde sēcum ad Turnum veniant.* »

Suspectam[4] fēcit rem et ingenium Turnī ferōx, et ōrātiō hesterna, et mora Tarquinī, quod vidēbātur ob eam differrī cædēs potuisse. Eunt, inclīnātis quidem ad crēdendum animīs ; tamen, nisi gladiīs dēprehēnsīs, cētera vāna exīstimātūrī.

---

1. ĪNSŌNS, INSONTIS, *adj. qual.* — innocent. [*sōns* est une ancienne forme de participe présent de *sum.* Cf. *absēns, præsens* : « étant vraiment (coupable) »]

2. « *Ab Turnō* » ne se rapporte pas à *dīcī*, mais à *parārī.*

3. ĪNSECTĀTIŌ, -ŌNIS, *n. f.* — Poursuite, attaque. [*īnsequor*]

4. SUSPECTUS, -A, -UM, *adj. qual.* — Ici, « vraisemblable ».

Ubī est eō ventum, Turnum ex somnō excitātum circumsistunt cūstōdēs ; comprehēnsīsque servīs quī cāritāte dominī vim parābant, cum gladiī abditī ex omnibus locīs dēverticulī[1] prōtraherentur, enimvērō manifēsta rēs vīsa ; injectæque Turnō catēnæ.

Et cōnfestim Latīnōrum concilium magnō cum tumultū advocātur. Ibi, tam atrōx invidia orta est, gladiīs in mediō positīs, ut indictā[2] causā, novō genere lētī, deĵectus ad caput aquæ Ferentīnæ, crāte[3] superne[4] injectā, saxīsque congestīs, mergerētur.

[52] Revocātis deinde ad concilium Latīnīs, Tarquinius — conlaudātisque quī Turnum novantem rēs, prō manifēstō parricīdiō, meritā pœnā adfēcissent — ita verba fēcit :

« *Posse quidem sē vetustō jūre agere, quod, cum omnēs Latīnī ab Albā oriundī sint*[5]*, eō fœdere teneantur : quō sub Tullō rēs omnis Albāna, cum colōnīs suīs, in Rōmānum cesserit imperium.*

« *Cēterum, sē ūtilitātis id magis omnium causā cēnsēre ut*[6] *renovētur id fœdus, secundāque potius fortūnā populī Rōmānī*

---

1. DĒVERTICULUM, -Ī, *n. nt.* — détour ; auberge, hôtel, logis (< *dēvertō*, « descendre chez »).

2. INDICTA CAUSA — cause non plaidée.

3. CRĀTIS, -IS, *n. f.* — claie, treillis. [(?) *crāssus,* « tressé », donc « dense, épais, gras »]

4. SUPERNE — Adverbe avec -ĕ.

5. « *ab Albā oriundī sint* » — En considérant que les Latins sont issus d'Albe, Tarquin prétend qu'ils sont liés par droit à Rome depuis que Tullus Hostilius annexa confondit les deux peuples.

6. « CĒNSEŌ UT » — être d'avis que, penser qu'il faut.

ut participēs Latīnī fruantur, quam urbium excidia vastātiōnēsque agrōrum — quās, Ancō prius patre, deinde suō rēgnante, perpessī sint — semper aut exspectent aut patiantur. »

Haud difficulter persuāsum Latīnīs, quamquam in eā fœdere superior Rōmāna rēs erat ; cēterum et capita[1] nōminis Latīnī stāre ac sentīre cum rēge vidēbant ; et suī cuique perīculī, sī adversātus esset[2], recēns erat documentum.

Ita renovātum fœdus, indictumque jūniōribus Latīnōrum ut, ex fœdere, diē certā, ad lūcum Ferentīnæ, armātī frequentēs adessent. Quī, ubi ad ēdictum Rōmānī rēgis, ex omnibus populīs, convēnēre — nē ducem suum, nēve sēcrētum imperium, propriave signa, habērent — miscuit manipulōs[3] ex Latīnīs Rōmānīsque, ut ex bīnīs singulōs faceret bīnōsque ex singulīs ; ita geminātīs manipulīs centuriōnēs imposuit.

Bellum Gabium

[53] Nec ut injūstus in pāce rēx, ita dux bellī prāvus fuit, quīn eā arte æquāsset superiōrēs rēgēs, nī, dēgenerātum in

1. « CAPITA » — Le mot *caput* a ici déjà le sens de son descendant français, « chef ».

2. ADVERSOR, -ĀRIS, -ĀRĪ, -ĀTUS SUM, *v. i. + dat.* — s'opposer, être contraire à.

3. Évocation anachronique des MANIPULES qui ne sont sans doute apparus que beaucoup plus tard, après le sac de Rome, en 390. Cf. l. VIII, 8. [*mani-pulus,* « poignée, pleine main »].

aliīs, huic quoque decorī offēcisset[1]. Is prīmus Volscīs[2] bellum, in ducentōs amplius post suam ætātem annōs, mōvit ; Suessamque Pōmētiam[3] ex iīs vī cēpit.

Ubī, cum dīvēnditā[4] prædā quadrāgintā talenta argentī refēcisset, concēpit animō eam amplitūdinem Jovis templī : quæ digna deum hominumque rēge, quæ Rōmānō imperiō, quæ ipsīus etiam locī maĵestāte esset. Captīvam pecūniam in ædificātiōnem eĵus templī sēposuit.

Excēpit deinde, lentius spē[5] bellum, quō Gabiōs, propinquam urbem, nēquīquam vī adortus ; cum obsīdendī quoque urbem spēs, pulsō ā mœnibus, adēmpta esset, postrēmō — minimē arte Rōmānā — fraude ac dolō adgressus est.

Nam, cum, velut positō bellō, fundāmentīs templī jaciendīs, aliīsque urbānīs operibus, intentum sē esse simulāret, Sextus fīlius eĵus, quī minimus ex tribus[6] erat, trānsfūgit ex compositō[7] Gabiōs — patris in sē sævitiam intolerābilem conquerēns.

---

1. OFFICIŌ, -IS, -ERE, -FECĪ, -FECTUM, *v. + dat.* — se mettre devant, faire obstacle, gêner ; gêner, entraver

2. Les VOLSQUES, peuplaient le sud du Latium, et ne furent soumis à Rome qu'à la fin du IV^e^ siècle. Le volsque est une langue « sabellique », comme l'osque et l'ombrien. Les langues sabelliques font partie des langues italiques, comme le latin et le falisque.

3. SUESSA PŌMĒTIA — voir note 1, p. 93.

4. DĪVENDŌ, -IS, -ERE, -DIDĪ, -DITUM, *v. t.* — vendre en divisant, en détail. [*dis-* + *vendō* = (*vēnum dō*)]

5. « *lentius spē* » — qui a donc plus traîné en longueur qu'on ne pouvait l'espérait.

6. *« ex tribus » = ex tribus filiīs.*

7. « *ex compositō* » — « comme cela avait été combiné ».

“Jam ab aliēnīs in suōs vertisse superbiam ; et līberōrum quoque eum frequentiæ tædēre, ut quam in cūriā sōlitūdinem fēcerit, domī quoque faciat — nē quam stirpem, nē quem hērēdem rēgnī relinquat. Sē quidem, inter tēla et gladiōs patris ēlāpsum, nihil usquam sibi tūtum nisi apud hostēs L. Tarquinī crēdidisse.

“Nam nē errārent : manēre iīs bellum — quod positum simulētur —, et per occāsiōnem eum incautōs invāsūrum. Quod sī apud eōs supplicibus locus nōn sit, pererrātūrum sē omne Latium ; Volscōsque sē inde et Æquōs et Hernicōs[1] petītūrum, dōnec ad eōs perveniat quī, ā patrum crūdēlibus atque impiīs suppliciīs, tegere līberōs sciant. Forsitan etiam, ārdōris aliquid ad bellum armaque sē — adversus superbissimum rēgem, ac ferōcissimum populum — inventūrum.”

Cum, sī nihil[2] morārentur, īnfēnsus[3] īrā porrō inde abitūrus vidērētur, benignē ab Gabīnīs excipitur. Vetant *“ mīrārī sī, quālīs in cīvīs, quālīs in sociōs, tālīs ad ultimum in līberōs esset ; in sē ipsum postrēmō sævītūrum, sī alia dēsint. Sibi vērō grātum adventum eĵus esse, futūrumque crēdere[4] brevī ut, illō*

---

1. VOLSCĪ, ÆQUĪ, HERNICĪ — Cf. pour le Volsques et les Èques, les notes 1 p.72, 2 p.115 ; les Herniques, situés entre les Èques et les Volsques, entreront brièvement en conflit avec Rome au début du V^e^ siècle, et se rebellèrent à nouveau au milieu du IV^e^ siècle.

2. NIHIL MOROR — « ne s’attarder en rien sur un sujet » : ne pas s’y intéresser.

3. ĪNFĒNSUS, -A, -UM, *adj. qual. + dat. ; in + acc.*— irrité, hostile, ennemi, funeste. [*dēfendō, offendō* ; θείνω, φόνος]

4. On peut suppléer *sē*, sujet de l’infinitif « *crēdere* ».

adjuvante, ā portīs Gabīnīs, sub Rōmāna mœnia bellum trānsferātur."

[54] Inde in cōnsilia pūblica adhibērī. Ubi, cum *"dē aliīs rēbus, adsentīre*[1] *sē veteribus Gabīnīs*, dīceret, *quibus eæ nōtiōrēs essent, ipse identidem bellī auctor*[2] *esse. Et in eō sibi præcipuam prūdentiam adsūmere, quod utrīusque populī vīrēs nōsset, scīretque invīsam profectō superbiam rēgiam cīvibus esse — quam ferre nē līberī quidem potuissent."*

Ita cum sēnsim[3] ad rebellandum prīmōrēs Gabīnōrum incitāret — ipse cum prōmptissimīs juvenum prædātum atque in expedītiōnēs īret — et, dictīs factīsque omnibus ad fallendum īnstrūctīs, vāna adcrēsceret fidēs, dux ad ultimum bellī[4] legitur.

Ibi — cum, īnsciā multitūdine quid agerētur, prœlia parva inter Rōmam Gabiōsque fierent, quibus plērumque Gabīna rēs superior esset — tum certātim summī īnfimīque Gabīnōrum Sex. Tarquinium, dōnō deum, sibi missum ducem crēdere.

Apud mīlitēs vērō, obeundō perīcula ac labōrēs pariter, prædam mūnificē largiendō, tantā cāritāte esse, ut nōn pater Tarquinius potentior Rōmæ, quam fīlius Gabiīs esset. Itaque postquam satis vīrium conlēctum ad omnēs cōnātūs vidēbat, tum ex suīs ūnum sciscitātum Rōmam ad patrem mittit

---

1. *ADSENTĪRE = adsentīrī.*

2. AUCTOR, -ŌRIS, *n. m.* — ici dans le sens de « celui qui pousse à agir, instigateur ». [**I.** Celui qui augmente la confiance. **II.** Celui qui pousse à agir]

3. SĒNSIM, *adv.* — insensiblement.

4. « *ad ultimum bellī* » — pour mener la guerre jusqu'au bout.

quidnam sē facere vellet, quandōquidem[1], ut[2] omnia ūnus pūblicē Gabiīs posset, eī dī dedissent.

Huic nūntiō, quia, crēdō, dubiæ fideī vidēbātur, nihil vōce respōnsum est ; rēx velut dēlīberābundus in hortum ædium trānsit, sequente nūntiō fīliī. Ibi inambulāns, tacitus, summa papāverum capita dīcitur baculō dēcussisse. Interrogandō exspectandōque respōnsum nūntius fessus, ut[3] rē imperfectā, redit Gabiōs.

Quæ dīxerit ipse, quæque vīderit, refert : "*seu īrā, seu odiō, seu superbiā īnsitā*[4] *ingeniō, nūllam eum vōcem ēmīsisse.*" Sextō ubi quid vellet parēns, quidve præciperet, tacitīs ambāgibus patuit, prīmōrēs cīvitātis, crīminandō aliōs apud populum, aliōs suā[5] ipsōs invidiā opportūnōs interēmit.

Multī palam ; quīdam, in quibus minus speciōsa crīminātiō erat futūra, clam interfectī. Patuit quibusdam volentibus fuga, aut in exsilium āctī sunt ; absentiumque bona, juxtā atque interēmptōrum, dīvīsuī[6] fuēre. Largītiōnēs inde prædæque ; et dulcēdine prīvātī commodī, sēnsus malōrum pūblicōrum adimī — dōnec, orba cōnsiliō auxiliōque, Gabīna rēs rēgī Rōmānō, sine ūllā dīmicātiōne, in manum trāditur.

---

1. QUANDŌQUIDEM, *conj.* — puisque.
2. « *Ut* » introduit une conjonctive complément de « *dedissent* ».
3. UT + *part. abl. abs.* — dans la pensée que, étant donné que.
4. ĪNSITUS, -A, -UM — inné, naturel, enraciné. [*īnserō*]
5. « *Sua* » se rapporte aux *prīmōrēs*. Il s'agit de la haine qu'eux-mêmes suscitent.
6. « *Dīvīsuī* » est une forme de supin.

[55] Gabiīs receptīs, Tarquinius pācem cum Æquōrum gente fēcit, fœdus cum Tuscīs renovāvit. Inde ad negōtia urbāna animum convertit ; quōrum erat prīmum ut Jovis templum in monte Tarpeĵō, monumentum rēgnī suī nōminisque, relinqueret — *Tarquiniōs rēgēs ambōs : patrem vōvisse, fīlium perfēcisse.*

Et — ut, lībera ā cēterīs religiōnibus, ārea esset tōta Jovis templīque eĵus quod inædificārētur — exaugurāre[1] fāna sacellaque statuit quæ aliquot ibi, ā Tatiō rēge prīmum, in ipsō discrīmine adversus Rōmulum pugnæ vōta, cōnsecrāta inaugurātaque posteā fuerant.

Inter prīncipia condendī huĵus operis mōvisse nūmen ad indicandam tantī imperiī mōlem[2] trāditur deōs : nam, cum omnium sacellōrum exaugurātiōnēs admitterent avēs, in Terminī fānō nōn addīxēre. Idque ōmen auguriumque ita acceptum est : nōn mōtam Terminī sēdem, ūnumque eum deōrum nōn ēvocātum[3] sacrātīs sibi fīnibus, firma stabiliaque cūncta portendere.

Hōc perpetuitātis auspiciō acceptō, secūtum aliud, magnitūdinem imperiī portendēns, prōdigium est : caput hūmānum integrā faciē, aperientibus fundāmenta templī, dīcitur appāruisse. Quæ vīsa speciēs, haud per ambāgēs,

---

1. EXAUGURŌ, -ĀS, -ĀRE… — désacraliser.

2. MŌLĒS, -IS — le poids, donc l'importance. [molécule, démolir, molester]

3. ĒVOCŌ, -ĀS, -ĀRE… + *abl.* — ici, le préverbe a son sens plein : « appeler hors de. »

arcem eam imperiī, caputque rērum, fore portendēbat ; idque ita cecinēre vātēs quīque in urbe erant, quōsque ad eam rem cōnsultandam ex Etrūriā accīverant.

Augēbātur ad impēnsās rēgis animus ; itaque Pōmētīnæ manubiæ[1], quæ perdūcendō ad culmen operī dēstinātæ erant, vix in fundāmenta suppeditāvēre[2]. Eō, magis Fabiō — præterquam quod antīquior est — crēdiderim, *quadrāgintā ea*[3] *sōla talenta fuisse*, quam Pīsōnī[4], quī *quadrāgintā mīlia pondō*[5] *argentī sēposita in eam rem* scrībit — summam pecūniæ neque ex ūnīus tum urbis prædā spērandam, et nūllīus, nē hōrum[6] quidem operum, fundāmenta nōn exsuperātūram.

---

1. MANUBIÆ, -ĀRUM — *n. f.* dépouilles, butin, argent du butin.

2. SUPPEDITŌ, -ĀS, ĀRE… — (*v. i.*) être en abondance ; (*v.t.*) fournir en abondance. [*sub + petō* ?]

3. « *Ea* » se rapporte sémantiquement aux *manūbiæ*, et grammaticalement aux *talenta.*

4. L. CALPURNIUS PĪSŌ FRŪGĪ, personnage prétorien, consulaire et censorien (*cēnsōrius*) titre qu'ajoutent souvent à son nom les auteurs qui le citent. Guerrier expérimenté, jurisconsuite habile, orateur assez distingué, homme d'une probité et d'une intégrité reconnues (Cic., *Tusc.*, III, 8; *Prō Font.*, XIII ; *Verr.*, III, 84, IV, 25 ; Plin., XXXIII, 2 ; Val. Max., IV, 5), d'une sévérité antique (Val. Max., II, 7, 9; Frontin, *Stratag.*, IV, 1; Oros., V, 6; Paul Diacre, IV, 25), il avait, alors qu'il était tribun, porté la première loi sur les concussions, et avait, dans l'administration des monnaies, mérité la confiance genérale (Pigh, *Annal.*, a.603 et 599). Enfin Pline dit de lui (II, 53), que c'est un auteur important (*auctor gravis*).

Pison, qui, faisant disparaître la couleur mythique que Tite-Live a cru devoir conserver, s'était attaché à présenter les faits sous un point de vue tout moderne, et avait modifié les mythes en les expliquant, ou même en avait présente d'autres. (PLB)

5. « *pondō* » — en poids (d'une livre).

6. « *hōrum* » — C'est-à-dire de ceux d'aujourd'hui.

[56] Intentus perficiendō templō, fabrīs undique ex Etrūriā accītīs, nōn pecūniā sōlum ad id pūblicā est ūsus, sed operīs[1] etiam ex plēbe. Quī cum haud parvus, et ipse mīlitiæ[2] adderētur labor, minus tamen plēbs gravābātur sē templa deum exædificāre manibus suīs, quam postquam et ad alia, ut speciē minōra, sīc labōris aliquantō maĵōris, trādūcēbantur opera : forōs[3] in circō faciendōs, cloācamque maximam, receptāculum omnium pūrgāmentōrum urbis, sub terrā agendam ; quibus duōbus operibus, vix nova hæc[4] magnificentia quicquam adæquāre potuit.

Hīs labōribus exercitā plēbe — quia et urbī multitūdinem, ubi ūsus nōn esset, onerī rēbātur esse ; et, colōnīs mittendīs, occupārī lātius imperiī fīnīs volēbat — Signiam Circeĵōsque[5] colōnōs mīsit, præsidia urbī futūra, terrā marīque.

Hæc agentī portentum terribile vīsum : anguis ex columnā ligneā ēlāpsus, cum terrōrem fugamque in rēgiā fēcisset, ipsīus rēgis nōn tam subitō pavōre perculit pectus quam ānxiīs implēvit cūrīs.

Itaque, cum ad pūblica prōdigia Etrūscī tantum vātēs adhibērentur, hōc velut domesticō exterritus vīsū, Delphōs, ad maximē inclitum in terrīs ōrāculum, mittere statuit. Neque

---

1. OPERA, -Æ, *n. f.* — journalier.

2. « *Mīlitiæ* » est au datif.

3. FORUS, -Ī, *n. m.* — tillac, pont d'un navire ; au pl. rangs de sièges au cirque, plates-bandes, cellules des abeilles. [bière, dans le sens de « cercueil », du francique *bera*]

4. « *hæc* » — ces magnificences-ci, c'est-à-dire celles d'aujourd'hui.

5. SIGNIA et CIRCEĴĪ se situent au sud-est de Rome ; c'est Circei qui est au bord de la mer.

respōnsa sortium ūllī aliī committere ausūs, duōs fīliōs per ignōtās eā tempestāte terrās, ignōtiōra maria, in Græciam mīsit.

Titus et Arrūns profectī ; comes iīs additus L. Jūnius Brūtus — Tarquiniā, sorōre rēgis, nātūs — juvenis longē alīus[1] ingeniī quam cuĵus simulātiōnem induerat. Is cum prīmōrēs cīvitātis, in quibus frātrem suum, ab avunculō[2] interfectum audīsset, neque in animō suō quicquam rēgī timendum, neque in fortūnā concupīscendum[3], relinquere statuit ; contemptūque[4] tūtus esse, ubi in jūre parum præsidiī esset.

Ergō ex industriā factus ad imitātiōnem stultitiæ, cum sē suaque prædæ esse rēgī sineret, Brūtī quoque haud abnuit[5] cognōmen — ut, sub eĵus obtentū[6] cognōminis, līberātor"[7] ille populī Rōmānī animus latēns, opperīrētur[8] tempora sua.

Is tum ab Tarquiniīs ductus Delphōs, lūdibrium vērius quam comes, aureum baculum, inclūsum[9] corneō[10] cavātō ad

---

1. ALĪUS = *alterīus*.

2. AVUNCULUS, -Ī, *n.m.* — oncle. [*avus*, > avunculaire, oncle]

3. CONCUPĪSCŌ, -IS, -ERE, -ĪVĪ, -ĪTUM, *v. t.* — convoiter, désirer vivement. [*con-cupi-scō ;* > concupiscence]

4. Il s'agit du mépris dont il est ainsi l'objet de la part de Tarquin.

5. ABNUŌ, -IS, -ERE, ABNUĪ, ABNUITUM, *v. t.* — refuser, nier. [Cf. *adnuō*, note 3 page 26.

6. OBTENTUS, -ŪS, *n. m.* — prétexte, couverture.

7. *« Līberātor »* — on peut considérer que ce nom est utilisé comme adjectif, apposé à *animus*.

8. OPPERIOR, -ĪRIS, -ĪRĪ, -PER(Ī)TUS SUM, *v. t.* — attendre. [*experior, perītus, perīculum* (< per ?), πειρᾶν ; une confusion avec la famille de *pariō, comperiō, reperiō* a entraîné le supin sans -ī-]

9. *Inclūdō* peut se construire avec l'ablatif directement.

id baculō, tulisse dōnum Apollinī dīcitur — per ambāgēs effigiem ingeniī suī.

Quō postquam ventum est, perfectīs patris mandātīs cupīdō incessit animōs juvenum scīscitandī ad quem eōrum rēgnum Rōmānum esset ventūrum. Ex īnfimō specū[1] vōcem redditam ferunt : « Imperium summum Rōmæ habēbit quī vestrum prīmus, ō juvenēs, ōsculum mātrī tulerit ».

Tarquiniī — ut Sextus, quī Rōmæ relictus fuerat, ignārus respōnsī, expersque[2] imperiī esset — rem summā ope tacērī jubent ; ipsī inter sē uter prior, cum Rōmam redīsset, mātrī ōsculum daret, sortī permittunt.

Brūtus, aliō[3] ratus spectāre Pȳthicam vōcem, velut sī prōlāpsus cecidisset, terram ōsculō contigit, scīlicet quod ea commūnis māter omnium mortālium esset. Reditum inde Rōmam, ubi adversus Rutulōs bellum summā vī parābātur.

---

10. CORNEUS, -A, -UM, *adj. qual.* — fait en corne, ou fait en cornouiller sauvage (*cornus mās*), au bois dur comme la corne. Le cheval de Troie aurait été fait en cornouiller (Pausanias, III, 13, 15).

1. SPECUS, -ŪS, *n. f.* — grotte, caverne, antre.

2. EXPERS, EXPERTIS, *adj. qual. + gén.* — qui n'a pas part à, qui manque de, privé de, dénué, dépourvu.[ex+pars]

3. « *aliō* » ≈ *aliō modō*.

[57] Ardeam[1] Rutulī habēbant — gēns, ut in eā regiōne atque in eā ætāte, dīvitiīs præpollēns[2]. Eaque ipsa causa bellī fuit : quod rēx Rōmānus cum ipse dītārī[3], exhaustus magnificentiā pūblicōrum operum, tum prædā dēlēnīre populārium animōs studēbat — præter aliam superbiam, rēgnō īnfēstōs[4] etiam quod sē, in fabrōrum ministeriīs, ac servīlī tam diū habitōs opere ab rēge indignābantur.

Temptāta rēs est — sī prīmō impetū cāpī Ardea posset. Ubi id parum prōcessit, obsidiōne mūnītiōnibusque cœptī premī hostēs. In hīs statīvīs[5], ut fit longō magis quam ācrī bellō, satis līberī commeātūs erant, prīmōribus tamen magis quam mīlitibus. Rēgiī quidem juvenēs, interdum ōtium convīviīs cōmīsātiōnibusque[6] inter sē terēbant.

Forte, pōtantibus hīs apud Sex. Tarquinium, ubi et Collātīnus cēnābat Tarquinius, Egērī[7] fīlius, incidit dē uxōribus mentiō. Suam quisque laudāre mīrīs modīs ; inde, certāmine accēnsō, Collātīnus negat verbīs opus esse : paucīs id quidem hōrīs posse scīrī quantum cēterīs præstet Lucrētia sua.

---

1. ARDEA, -Æ, *n. f.* — à 33 km au sud-est de Rome, sur la *Via Ardeātīna.* Cf. *Énéide*, VII, 411-413 : « *Locus Ardea quondam / dictus avīs, et nunc magnum manet Ardea nōmen, / sed fortūna fuit.* »
2. PRÆPOLLĒNS, -TIS, *adj. qual.* — très puissant. [*<polleō = potis+valeō*]
3. DĪTŌ,-ĀS… *v.t.* — enrichir. [*dives, divus*]
4. *« Īnfestōs »* se rapporte à *animōs.*
5. STATĪVA, -ŌRUM, *n. nt. pl.* — quartiers, campements.
6. CŌMIS(S)ĀTIŌ, -ŌNIS, *n.f.* — festin avec danse, musique, cortège.
7. EGĒRIUS, -Ī, *n. m.* — Cf. § 38.

« Quīn, sī vigor juventæ inest, cōnscendimus equōs, invīsimusque, præsentēs, nostrārum ingenia ? Id cuique spectātissimum sit : quod necopīnātō virī adventū occurrerit oculīs. » Incaluerant vīnō : « Age sānē ! » omnēs ; citātīs equīs, āvolant Rōmam.

Quō cum prīmīs sē intendentibus tenebrīs pervēnissent, pergunt inde Collātiam[1]. Ubi Lucrētiam haudquāquam[2] ut rēgiās nurūs — quās in convīviō luxūque cum æquālibus vīderant tempus terentīs — sed nocte sērā dēditam lānæ, inter lūcubrantīs[3] ancillās, in mediō ædium sedentem inveniunt.

Muliebris certāminis laus penes[4] Lucrētiam fuit. Adveniēns vir, Tarquiniīque exceptī benignē ; victor marītus cōmiter invītat rēgiōs juvenēs. Ibi Sex. Tarquinium mala libīdō Lucrētiæ per vim stuprandæ[5] capit : cum fōrma tum spectāta castitās[6] incitat. Et tum quidem ab nocturnō juvenālī lūdō in castra redeunt.

[58] Paucīs interjectīs diēbus, Sex. Tarquinius, īnsciō Collātīnō, cum comite ūnō Collātiam vēnit. Ubi exceptus benignē ab ignārīs cōnsiliī, cum post cēnam in hospitāle cubiculum dēductus esset, amōre ārdēns, postquam satis tūta[7]

---

1. COLLĀTIA, -Æ, *n. f.* — Cf. § 38
2. HAUDQUĀQUAM, *adv.* — Cf. n. 5 p. 54.
3. LŪCUBRŌ, -ĀS, -ĀRE…, *v. t.* — travailler à la lumière de la lampe. [*lūx*]
4. PENES, *prép. + acc.* — entre les mains de, dans la possession de.
5. STUPRŌ, -ĀS, ĀRE… *v.t.* — souiller, polluer, déshonorer.
6. CASTITĀS, -ĀTIS, *n. f.* — chasteté, pureté. [*castus, castīgātor* (§ 59)]
7. « *satis tūta circa* » — On peut sous-entendre *omnia*. Mais en fait, tout se passe comme si Tite-Live entendait un neutre pluriel, avec un -ă bref :

circā, sōpītīque omnēs, vidēbantur, strictō gladiō, ad dormientem Lucrētiam venit[1] ; sinistrāque manū mulieris pectore oppressō : « Tacē, Lucrētia, inquit, Sex. Tarquinius sum. Ferrum in manū est : moriere, sī ēmīserīs vōcem. »

Cum, pavida ex somnō, mulier nūllam opem, prope mortem imminentem, vidēret ; tum Tarquinius fatērī amōrem, ōrāre, miscēre precibus minās, versāre in omnīs partīs muliebrem animum. Ubi obstinātam vidēbat, et nē mortis quidem metū inclīnārī, addit ad metum dēdecus : cum mortuā jugulātum[2] servum nūdum positūrum ait, ut in sordidō adulteriō necāta dīcātur.

Quō terrōre cum vīcisset obstinātam pudīcitiam, velut vī, victrīx libīdō, profectusque inde Tarquinius ferōx, expugnātō decōre muliebrī, esset, Lucrētia mæsta tantō malō, nūntium Rōmam eundem ad patrem, Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulīs fidēlibus amīcīs veniant : « Ita factō[3] mātūrātōque opus esse ; rem atrōcem incidisse. »

Sp. Lucrētius cum P. Valeriō, Volesī[4] fīliō, Collātīnus cum L. Jūniō Brūtō vēnit — cum quō forte Rōmam rediēns, ab

---

tūta circă : « les choses alentour semblaient sûres ».

1. VENIT *vel* VĒNIT — difficile de trancher : si le contexte semble indiquer qu'il s'agit d'un parfait, il arrive fréquemment que Tite-Live fasse alterner le présent et le parfait pour dynamiser son récit.

2. JUGULŌ, ĀS… — Cf. *jugulum* (n. 4 p.55.)

3. OPUS EST + *abl.* — il est besoin de. *Factō opus est*, « il est besoin d'agir ».

4. PŪBLIUS VOLUSIUS VALERIUS — deviendra plus tard le fameux *Pūblicola* ; au lieu de son cōgnōmen, pour le distinguer des autres *P. Valeriī*, Tite-Live donne le prénom de son père, *Volesus*.

nūntiō uxōris erat conventus. Lucrētiam sedentem mæstam in cubiculō inveniunt.

Adventū suōrum lacrimæ obortæ, quærentīque virō « Satin salvē ? — Minimē, inquit. Quid enim salvī est mulierī, āmissā pudīcitiā ? Vestīgia virī aliēnī, Collātīne, in lectō sunt tuō ; cēterum, corpus est tantum violātum, animus īnsōns : mors testis erit. Sed date dexterās fidemque haud impūne adulterō[1] fore. Sex. est Tarquinius quī, hostis prō hospite, priōre nocte, vī armātus mihi — sibique, sī vōs virī estis — pestiferum[2] hinc abstulit gaudium. »

Dant ōrdine omnēs fidem ; cōnsōlantur ægram animī, āvertendō noxam[3] ab coāctā in auctōrem dēlictī[4] : « Mentem peccāre, nōn corpus, et unde cōnsilium āfuerit culpam abesse. — Vōs, inquit, vīderītis quid illī dēbeātur ; ego mē, etsī peccātō absolvō, suppliciō nōn līberō ; nec ūlla deinde impudīca, Lucrētiæ exemplō, vīvet. »

Cultrum, quem sub veste abditum habēbat, eum in corde dēfīgit ; prōlāpsaque in vulnus, moribunda cecidit. Conclāmat vir, paterque.

---

1. ADULTER, -A, -UM, *adj. qual.* — adultère. [*ad* + *alter*]

2. PESTIFER, -A, -UM, *adj. qual.* — qui apporte la ruine, désastreux, fatal. [*pestis*, « peste, ruine, fléau » ; cf. n.6, p.68, *pestilentia* ; *ferō*]

3. NOXA, -Æ, *n. f.* — faute, tort. [Cf. n. 1, p.69]

4. DĒLICTUM, -Ī, *n. nt* — délit, faute [*dēlinquō* ; délit, délictueux, délinquant]

[59] Brūtus, illīs lūctū occupātīs, cultrum ex vulnere Lucrētiæ extractum, mānantem cruōre præ sē tenēns, « Per hunc, inquit, castissimum ante rēgiam injūriam sanguinem, jūrō — vōsque, dī, testēs faciō — mē L. Tarquinium Superbum cum scelerātā conjuge, et omnī līberōrum stirpe, ferrō ignī quācumque dehinc vī possim, exsecūtūrum, nec illōs nec alium quemquam rēgnāre Rōmæ passūrum. »

Cultrum deinde Collātīnō trādit, inde Lucrētiō ac Valeriō, stupentibus mīrāculō reī, unde[1] novum in Brūtī pectore ingenium. Ut præceptum erat jūrant ; tōtīque ab lūctū versī in īram, Brūtum, jam inde ad expugnandum rēgnum vocantem, sequuntur ducem.

Ēlātum domō, Lucrētiæ corpus in forum[2] dēferunt ; concientque — mīrāculō, ut fit, reī novæ atque indignitāte — hominēs. Prō sē quisque scelus rēgium ac vim queruntur. Movet cum patris mæstitia, tum Brūtus castīgātor[3] lacrimārum atque inertium querellārum — auctorque *quod virōs, quod Rōmānōs decēret :* arma capiendī adversus hostīlia ausōs.

Ferōcissimus quisque juvenum cum armīs voluntārius adest ; sequitur et cētera juventus. Inde — [4]patre præsidiō

1. UNDE introduit une interrogative indirecte dépendant de *mīrāculō.*

2. « *forum* » — Il s'agit du forum de Collatia.

3. « *Brūtus castīgātor* » — Cf. *Siciliā āmissā.* CASTĪGĀTOR est utilisé comme un participe.

4. Texte des manuscrits (jusqu'à « *locātīs* ») amendé selon les propositions de Heurgon, 1963.

relictāō Collātiæ, cūstōdibusque ad portās locatīs, nē quis eum mōtum rēgibus[1] nūntiāret — cēterī armātī, duce Brūtō, Rōmam profectī.

Ubī eō ventum est, quācumque incēdit armāta multitūdō, pavōrem ac tumultum facit. Rūrsus ubi anteīre prīmōrēs cīvitātis vident[2], *quidquid sit haud temere esse* rentur.

Nec minōrem mōtum animōrum Rōmæ tam atrōx rēs facit quam Collātiæ fēcerat ; ergō ex omnibus locīs urbis in forum curritur. Quō simul ventum est, præcō ad tribūnum Celerum[3], in quō tum magistrātū forte Brūtus erat, populum advocāvit.

Ibi ōrātiō, habita nēquāquam eĵus pectoris ingeniīque quod simulātum ad eam diem fuerat, dē vī ac libīdine Sex. Tarquinī ; dē stuprō īnfandō Lucrētiæ et miserābilī cæde ; dē orbitāte Tricipitīnī, *cui*[4] *morte fīliæ causa mortis indignior ac miserābilior esset.*

Addita[5] superbia ipsīus rēgis, miseriæque et labōrēs plēbis in fossās cloācāsque exhauriendās dēmersæ ; "*Rōmānōs hominēs, victōrēs omnium circā populōrum, opificēs ac lapicīdās prō bellātōribus factōs*". Indigna Ser. Tullī rēgis memorāta

---

1. « *rēgibus* » — La famille royale est au siège d'Ardée.

2. Le sujet de *vident*, ce sont ceux qui éprouvaient la *pavōr* de la phrase précédente.

3. TRIBŪNUS CELERUM — Cohérent avec ce que dit Denys (IV, 71, 6), mais contradictoire avec ce que dit Cicéron (*Dē Rēp.* II, 46), et ce que disait Tite-Live au chapitre 56, sur la stupidité simulée de Brutus. Le tribun des Célères était commandant de la garde du roi (cf. chap. 15).

4. « *cui* » — datif éthique : dans l'esprit de qui.

5. « *addita* » — C'est à son discours que sont ajoutés encore ces propos, autres motifs pour le peuple de se révolter.

cædēs ; et invecta corporī patris nefandō vehiculō fīlia ; invocātīque ultōrēs parentum dī.

Hīs, atrōciōribusque, crēdō, aliīs — quæ præsēns[1] rērum indignitās, haudquāquam relātū scrīptōribus facilia, subjicit — memorātīs, incēnsam multitūdinem perpulit ut imperium rēgī abrogāret[2], exsulēsque esse jubēret L. Tarquinium cum conjuge ac līberīs.

Ipse, jūniōribus quī ultrō nōmina dabant lectīs armātīsque, ad concitandum inde adversus rēgem exercitum Ardeam in castra est profectus. Imperium in urbe Lucrētiō, præfectō urbis jam ante ab rēge īnstitūtō, relinquit. Inter hunc tumultum Tullia domō profūgit, exsecrantibus[3], quācumque incēdēbat, invocantibusque parentum furiās, virīs mulieribusque.

[60] Hārum rērum nūntiīs in castra perlātīs, cum, rē novā trepidus, rēx pergeret Rōmam ad comprimendōs mōtūs, flexit viam Brūtus — sēnserat enim adventum — nē obvius fieret : eōdemque ferē tempore, dīversīs itineribus, Brūtus Ardeam, Tarquinius Rōmam vēnerunt.

Tarquiniō clausæ portæ exsiliumque indictum ; līberātōrem urbis læta castra accēpēre. Exāctīque inde līberī rēgis : duo patrem secūtī sunt, quī exsulātum Cære in Etrūscōs

---

1. « *præsēns indignitās* » — L'indignité est présente pour Brutus. On peut sous-entendre un *ōrātōribus* au datif, qui s'opposerait à *scrīptōribus*.

2. ABROGŌ, -ĀS… *v. t.* — enlever, supprimer, abroger. [*ab+rogō*]

3. EXSECROR, ĀRIS… *v. i.* ou *tr.* — maudire, lancer des imprécations. [*sacer*, exécrer]

ierunt ; Sex. Tarquinius, Gabiōs tamquam in suum rēgnum profectus, ab ultōribus veterum simultātium[1], quās sibi ipse cædibus rapīnīsque concierat, est interfectus.

L. Tarquinius Superbus rēgnāvit annōs quīnque et vīgintī. Rēgnātum Rōmæ ab conditā urbe ad līberātam annōs ducentōs quadrāgintā quattuor. Duo cōnsulēs inde comitiīs centuriātīs ā[2] præfectō urbis, ex commentāriīs[3] Ser. Tullī, creātī sunt, L. Jūnius Brūtus et L. Tarquinius Collātīnus.

1. « *simultātium* » = *simultātum.*

2. « *ā* » — convoquées par.

3. Les *commentāriī* de Servius Tullius ne sont mentionnés nulle part ailleurs ; ces mémoires sans doute apocryphes comprenaient probablement la *discrīptiō classium* et la *discrīptiō centuriārum* que lui attribue Festus (290 L). [Heurgon]

Note sur cette édition

Notre édition reprend celle que propose *The latin library* (www.thelatinlibrary.com), basée sur l'édition de Conway et Walters (Oxford, 1914). Nous l'avons reprise parfois à partir de l'édition de Weissenborn et Müller (1894), reproduite par Foster (Loeb, 1919), et de celle de Jean Bayet (Collection des Universités de France, 1971).

Les notes d'érudition développées sont reprises de l'édition Nisard, rédigées par Philippe Le Bas (Paris, 1839).

Nous avons macronisé le texte avec l'aide précieuse de *A latin macronizer* (http://alatius.com/macronizer/) de Johan Winge. Notez que qu'un -ĵ- entre deux voyelles note un yod géminé : *eĵus* = [ejjus]. Nous avons cru bon de noter la présence des diphtongues assez rares -ei- et -ui- par un *hyphen* : *cu͡i* se prononce [kuj]. La ponctuation et la mise en paragraphes, ainsi que les *titulī* sont de notre cru.

Pour rédiger les notes de vocabulaire — même si nous avons systématiquement vérifié nos informations à l'aide du *Dictionnaire étymologique de la langue latine* d'Ernout et Meillet (Klincksieck, 2001) —, le Gaffiot numérisé par l'équipe de Gérard Gréco et wiktionary.org nous ont été fort utiles.

Cette édition ɣ constitue notre troisième tirage, très améliorable : il manque encore la préface de Tite-Live, et une révision d'ensemble, en particulier sur les notes de civilisation.

Bibliographie

Carnoy A. Etymologie des noms romains d'origine étrusque. In: *L'antiquité classique*, Tome 25, fasc. 2, 1956. pp. 386-407. DOI : https://doi.org/10.3406/antiq.1956.3297.

Marion Ayer Rubins, 1932 : « A New Interpretation of "Jupiter Elicius" ». *Memoirs of the American Academy in Rome, 10*, 85-102. doi:10.2307/4238565.

G. Cauquil, J.-Y. Guillaumin, *Vocabulaire essentiel du latin*, Hachette, 1992

Jacques Heurgon, 1963 : *T. Livi* Ab urbe condita *(édition, introduction et commentaire)*, aux P.U.F., collection *Érasme.*

John Scheid, 1985: « Numa et Jupiter ou les dieux citoyens de Rome », *Archives de sciences sociales des religions*, n°59/1, 1985. pp. 41-53. https://doi.org/10.3406/assr.1985.2344.

Emmanuel Van Elverdinghe, « Numa Marcius. Aux origines légendaires du pontificat », *Folia Electronica Classica* (Louvain-la-Neuve), numéro 24 (juillet-décembre 2012).

Warren, 1883, "Grandio, gradio; grandivus, gradivus", *American Journal of Philology.*

Capita rērum

Dē urbe conditā.....1

Ab Ænēā ad Rōmulum.....1

Quomodo Ænēās Juppiter Indigēs factus sit.....1

Albæ — ab Ascaniō ad Amūlium.....5

Quomodo Rōmulus rēx factus sit Rōmæ.....7

Dē Rōmulō.....13

Herculēs et Cācus.....13

Quomodo Rōmānus populus crēverit.....16

Bella Sabīna.....21

Bella Etrūsca.....28

Quomodo Rōmulus deus factus sit.....32

Dē Sabīnīs rēgibus.....34

Dē Numā Pompiliō.....34

Quomodo Numa rēx factus sit.....34

Numa et Ēgeria.....38

Dē Tullō Hostīliō.....45

Dē Horātiīs Cūriātiīsque.....45

Quomodo Alba dēlēta sit.....58

Sabīnum bellum.....64

Dē Ancō Marciō.....69

Dē bellicīs cærimōniīs.....69

Bellum Latīnum.....73

Tanaquil.....75

Dē Etrūscīs rēgibus.....79

Dē Tarquiniō Prīscō.....79

Bella Sabīna.....82

Dē Serviī Tullīī orīgine.....86

Dē Serviō Tulliō.....89

Dē Serviī īnstitūtiōnibus.....93

Quomodo Servius turpe ēversus sit.....100

Dē Tarquiniō Superbō.....107

Quōmodo Turnus Herdonius interfectus sit.....108

Bellum Gabium.....113

Dē Jovis templō.....117

Lucrētia.....122

Brūtus.....126

Note sur cette édition.....131

Bibliographie.....132